FEDERICI
BORROMÆI
CARDINALIS,
ET ARCHIEPISCOPI
MEDIOLANI
SACRARVM
CONCIONVM
VOLVMINA
DECEM.

MEDIOLANI,
ANNO M.DC.XXXIII.

F E D E R I C I
B O R R O M Æ I
CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI
M E D I O L A N I

CONCIONES SYNODALES.

VOLVMEN PRIMVM.

ANNO M.DC.XXXIII.

CONSILIVM
MENSQVE
AVCTORIS
EX LIBRO
MEDITAMENTORVM LITTERARIORVM.

CONCIONIBVS hisce nostris initio Commentariorum titulum dederamus; eiusque tituli reddendam esse rationem puto. Cùm nos ea, quæ in concione dixeramus, mandare litteris aggrederemur, minimè consilium fuit explicatè, ac fusè scribere omnia, quæ concionati eramus: capita tantùm, & puncta rerum custodire animus fuit; etiamsi id ipsum fusiùs aliquanto factum fuerit, quàm principio destinaram. Is aliquandiu scribendi cursus fuit, & ea Scripta Commentarios appellaui. Communicando posteà cum nonnullis aliquid de ratione studiorum nostrorum, varias de inscriptione illa opiniones audiebam; laudantibus nimirum alijs, quòd ita conciones meas inscripsissem, alijs verò reprehendentibus. Reprehendebat ab illis, qui dicerent, orationem vniuersam esse diffusiorem, quàm Commentariorum nomen pa-

pateretur, neque totidem è superiore loco verba pronuntiasse. His ego Cæsaris auctoritatem opponebam, quem satis constaret, & narrationem alicubi dilatasse, & minutarum rerum descriptione, instituti sui fines egressum, propiùs ad Historiæ consuetudinem accessisse. Laudabant autem alij tituli huius modestiam simul, & grauitatem, quò profiterer, esse me perscriptu-rum non integras, & absolutas orationes, sed ipsa ferè rerum capita, quæ ad populum erudiendum pertinerent. Neque noua hæc inscriptio videbatur. Commentariorum enim nomen in arte dicēdi nemini videri nouum potest, cùm ipse Romanæ Princeps Eloquentiæ de quodam oratore ita scripserit; *Ipsa illa censoria contra Caium Domitium collegam non oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paulò plenius*. Atque commentaria hæc haud parùm plena, quæ ab Tullio hoc loco nominantur, differunt ab alijs commentarijs, quos Lucianus nudos appellat. Nam priores illi pleniores vberioresque erant, hi autem restricti, & aridi, & ieiuni; quale opus vel imperitorū aliquis texere potuisset. Creuit postea labor noster, & cura hæc in tantum, vel amplitudine rerum earum, quæ tractabantur, vel rationibus, & argumentis, et auctoritatibus, vt primam illam inscriptionem minimè conuenire Operi animad-

M. Tull. de Claris Orat.

Lucian. in lib. de conscrib. Hist.

maduerterem, cœpique cogitare aptius, & accommodatius aliquid. Sed in varias quoque difficultates incidebamus, titulum alium inuestigando, qui aptior videretur. Nam neque Dissertationes erant appellandæ, neque Homiliæ; & Sermonum nomen Latinæ linguæ consuetudine sensum fortasse non habet eum, quem Italicè loquentes ei voci tribuunt. Est insuper illud animaduertendum, vix vllam esse vocem tam seueris legibus adstrictam, vt à proprio, communique sensu leuiter mutari non possit. Ideo, pro Annalibus Historias, & pro Diario Vitam dicunt, eaque nomina confunduntur inter se se ac miscentur. Placuit ad extremum Sacrarum Concionum titulus. Inscriptionem enim omnino nullam excogitare potuimus, quæ videretur nobis esse verior, aut modestior, aut magis ad conditionem Operis accommodata. Poterit tamen, si quis volet, inscriptione omissa, Libros ipsos euoluere, si forte aliquid inesse censebit, quod sibi cognoscendum putet. Quod summus Oratorum de Patriæ suæ fortunis ab oratorio gestu minimè pendentibus olim dixit, id nos quoque de hac Librorum vtilitate dicemus, non esse videlicet positam eam in vnius verbi pondere ac momento. Ac tantò securior sum ab hac parte, quantò expeditius fuerit alium subijcere titulum, idque

faciet, si quis volet, me non recusante. Quòd si aliquis hunc damnare titulum, siue inscriptionem vellet, is fortasse seuerè nimiùm ac duriter ageret. Quem enim primum in Libro errorem siue mendum inuenit, rigidè castigare contendit. In scribendo, præcipua mihi circa elocutionem cura fuit, magisque sum in tota ratione dicendi versatus, quàm in copia rerum, & apparatu. Id autem rectè fecisse videor ipsius imitatione Tullij, qui de suis orationibus alicubi tale quiddam profitetur. Cùm enim elocutio possit ad omnia transferri genera, & argumenta, sitque ipsa proprium munus oratoris, & caput artis vniuersæ, multò pluris est facienda, quàm nudæ res atque incultæ. Stylus ipse concionum, vt nitidus, legitimusque esset, operam dedi. Neque tamen vocem admisi vllam, quæ à communi patrij nostri sermonis consuetudine valde abhorreret, fugique, quantum potui, obscura omnia, peregrina, inusitata, nisi vbi tale quiddam admiscere necessitas cogebat. Non ego paruam esse laudem arbitror oratoris Hetrusci, qui duas inter se res diuersas ac pene contrarias coniũgere possit; vt nimirum formis vtatur communibus, & eleganter idem dicat. Communia verba non semper elegantiam habebunt; sed qui in eo studio ætatem consumpsere, his facilè continget, vt quotidianis verbis

 vtendo,

utendo, non careant venustate, & ornatu. Ornatus habere nimios non debet oratio de sacris rebus instituta. Nos tamen præcipuos quosdam linguæ lepores in hoc toto concionum Opere adhibuimus, cum ea quidem cautione, ne copia demeret orationi robur, & quandam quasi magnanimitatem, & fidem, quæ scilicet infringitur artificio deprehenso, & verbis anxiè conquisitis; quod mentis est otiosæ, nec satis ad persuadendi munus attentæ. Concionum Opus hoc in decem diuisum Volumina, fortasse aliquis esse nimiæ molis dicet, meque commodiùs fuisse facturum, si quædam ex vniuersa mole conciones delegissem, quæ premerem acriore cura, & expolirem. Id sanè fuerat vtilius pro ea perfectione, & lima, quam breuia Scripta magis admittunt; ac profectò fecissem inconsideratè, si concionibus aliquam vnam immisissem ea deformitate, vt penitus à cęteris degenerare videretur. Nescio, an sit à nobis in hac parte peccatum: sed si peccatum fuerit, nulla certè debebitur venia propter Operis inæqualitatem, quæ tunc existit, vbi partes cum toto non cohærent. Quòd si consecutus fuero, vt hæc ipsa æqualitas constet Operi nostro, duas maximas opportunitates multitudo concionũ habebit. Nam ordo diuersus, & artificium, & quidquid illud est, quod communi nomine

in-

inuentionem appellamus, facilius in campo hoc latissimo conspici poterit, quàm si intra fines angustos versaremur. Potest autem ea varietas inuentionis ad alia vtilis esse, quamuis diuersa, & remota à concionum nostrarum argumentis; sicque nouarum semper inuentioni rerum animus assuescit, ne gradu semper eodem incedamus, vnusque tenor orationis perpetuò retineatur. Altera erit opportunitas ex concionum multitudine, sicuti arbitror, admodum grata illis, qui ob diuturnam in eodem loco permansionem, eosdem semper ferè auditores habent. His proderit, & materies, & forma concionum apta varietate distincta. Quòd si habebunt ad manum meliora concionum suarum argumenta, poterunt saltem hinc petere aliquas dicendi formas, & ordinem, & orationis vincula, tropos, ornamenta, permotiones animorum, & si quæ alia occultæ, vel manifestæ artis adhibere possumus. Nescio, an assequi potuerim vllam partem earum rerum, quas vt assequerer, summa ope contendi, & elaboraui, varietatem nempe non in rebus modò, sed etiã in dicendi forma, in qua positam esse eloquentiam, antea demonstraui; vim orationis, quæ tanta fuit in Demosthene, vt violentiæ nomen haberet; suauitatem præterea, perspicuitatem, splendorem rerum, & verborum, & veritatem

quan-

quandam orationis, quæ significet, animi nostri sensum esse planè talem, qualem ipsa verba demonstrant. Aliquorum Voluminum diuisionem desumpsimus ex communi illa, & in scholis decantata Rhetorum diuisione, qua Iudiciale genus à Deliberatiuo, & Demonstratiuum à Iudiciali, sicuti omnes nouere, distinguunt. Sed quoniam scio, hæc genera nequaquam ita esse distincta & separata, quin possint inter se coniungi ac misceri, sicuti à Demosthene, Tullio, & Gregorio Nazianzeno, cæterisque fuisse factum videmus, ideo non admodum anxia mihi cura fuit in eorum diuisione; neque angar magnopere, si quis concionem, quam ego retulerim inter Laudatorias, potiùs videri sibi Suasoriam dicet. Atque facietati fugiendæ, cùm aliqua Volumina eo, quo dictum est, ordine conscripsissemus, reliquis ordinem reliquimus eum, quem ipse temporum ordo dabat, prout conciones habitæ erant.

Et quia circumscribitur angustis nimiùm finibus Italica terra, si cum toto terrarum Orbe comparetur, ne intra tales angustias labores nostri coarctentur, consilium nobis illud est susceptum, vt hæc concionũ Volumina Latinè conuersa exhibeamus; iamque Opus est inchoatum. Facit tamen Operis ipsius difficultas, & magnitudo, ne certi, ac destinati quidquam

mihi

mihi esse promittendum putem. Fallaces namque spes hominum in medio sæpe cursu franguntur, occupatque nos vitę finis tunc maximè, cùm longa vitæ spatia meditamur.

TITVLI ET ARGVMENTA CONCIONVM SYNODALIVM.

CONCIO I.

CONCIO II.

Reij-

a 2 *vt*

CONCIO XI.

CONCIO XII.

CONCIO XIII.

Sæpe

Des-

Per-

CON-

De

b CON-

Me-

CONCIO XXXII.

CONCIO XXXIII.

Quanti

Sæpe

Non

CONCIO XLI.

CONCIO XLII.

CONCIO XXXVIII.

CONCIO XXXIX.

CONCIO LX.

Non

CONCIO XLI.

CONCIO XLII.



FEDERICI BORROMÆI

CARDINALIS, ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

CONCIONES SYNODALES.

Prima die Synodus

Anni M.D.XCVI.

DE IMITATIONE bonorum exemplorum.

CONCIO I.

IN hoc ſacro ſynodali cœtu, in quo mihi nunc primùm datur, vt vos cum ſingulari animi mei iucunditate congregatos præſenteſque habeam, ſacerdotes venerandi, fratreſque chariſſimi, non aliunde videor poſſe commodiùs ora-

tionem meam exordiri, quàm à verbis illis, quibus Isaias Propheta Dei populum olim est affatus, cum eum ad rectè agendum inuitaret; Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. *Talibus nempe verbis Vates ille diuinus populum hortabatur ad præcepta legis obseruanda, sustinendasque calamitates, quæ aßiduè exurgunt in bonos: maximumque fore hortamentum putauit, si veterum Patrum exempla poneret illis ante oculos, ac præsertim Abrahami, et Saræ, quos Hebraici nominis parentes, et auctores, veluti fixos in sua sede lapides, nullus vnquam casus, vel iniuria hominum ab firmißima ipsorum fide amouit. Magnus hic Patriarcha, veluti sterile saxum, propter extremam senectam, absque humore vllo stabat: atque ità in Ecclesiæ etiam statu steriles anni, et atrocia mala, calamitatesque antecessere annos, qui postea fidelium populorum ingentes prouentus tulere. Atque ideò firmißima illa rupes significabat illius fidem, ex quo nos ipsi desumpti sumus ad ædificandam Dei domum per sanctum Christi Saluatoris euangelium. Tam mirificè, inquit Chrysostomus, procreati fuere Hebræorum populi per Abrahamum, et Saram, veluti si arida saxa partum hu-*

Isaiæ cap. 51. u. 1.

S. Chrysostomus Homil. 11. in cap. 3. Matth.

humanum dedissent; ideoque ab tanti operis auctore gens eadem Hebraica quoduis aliud magnum opus sperare debebat. Doctor autem Angelicus partum eum ab sterilibus Abrahami lumbis fuisse quodammodo auulsum ait, Saræque fontem iam arefactum protulisse fœtus eos. Sanctus porrò Hieronymus altiùs aliquantò rem contemplatur eam, aitque, verborum illorum sensum pertinuisse magno mysterio ad plagæ vaticinium illius, quam in pectore Saluatoris lancea fecit, manuumque, et pedum plagas hoc mysterio fuisse significatas. Idemque Doctor, excisam hanc petram sepulchrũ fuisse Saluatoris ait, qui post mortem, assumpta iterum vita, verum se se Abrahamum præbuit, quia populorum innumerabilium soboles ex eo nata est. Sicuti arduum est, inquit Cyrillus Alexandrinus, duros incidere silices, rupesque diuidere, atque profundum puteum exhaurire: ita arduum est etiam ab sterili corpore partum elicere vllum. Ac si diuina vis, vt Cardinalis Vgo interpretatur, potuit Abrahamum ex Chaldæorum seruitute vindicare, atque in fertilem terram eum deferre; cur non poterit eadem diuina vis electum hunc populum ex præsentibus eripere malis, et sobolem, ac numerum augere? Sin autem nunc, inspicientes sensum verborum Isaiæ, quæ allata fuerunt, ea propriè referre voluerimus ad vti-

S. Hieronym. in Isaiam lib. 14. cap. 51.

Cyrill. Alexand. lib. 4. cap. 51.

litatem, quam secum salutaria exempla ferunt, hortatur diuinus Vates, sicut initio dicebam, omnes nos, vt venerandas maiorum nostrorum imagines assidue contemplemur. Habent enim laudabilia, vel potius diuina exempla vim hanc, vt excitent, deprimantue animum nostrum, dum in virtutis itinere longè progressos esse aliquos videmus, atque dum tarditatem nostram ex eorum comparatione agnoscimus, qua nimium lentè, ac negligenter insistimus vestigijs eorum, qui nos antecesserunt. Quòd si hæc exempla sumerentur ex eorum vita, ex quorum stirpe procreati sumus, proculdubiò momentum, et auctoritatem ipsa maiorem apud omnes obtinerent. Est hominum generi tributus à Deo naturalis quidam amor erga originem suam; estque cum eo amore coniuncta voluntas, et studium nostræ conseruationis: nec hominum solum, sed belluarum etiam id proprium est, vt ament eos, à quibus genitæ sunt, vnde cibum accepere, locumque ipsum, vbi diù moratæ sunt. Nos autem hæc naturæ officia tunc solum tradimus obliuioni, penitusque abijcimus ea, cum aliquid erga Deum, et res diuinas piè, reuerenterquè agendum est, cumque sequi, et imitari debemus salutaria eorum exempla, qui nos in fide, Christianaque virtute procrearunt. At verò cùm aliquid erga mortale hoc corpus agendum est,

est, sæpius à nobis hæc eadem naturæ officia animo menteque reuoluuntur. Præterea, ipsa creatarum rerum lege constitutum esse videmus, vt ea, quæ perfectiora sunt, sint modus, et regula minùs perfectorum; prudentesque, et fortes, et nobiles diuersæ conditionis mortalibus præsint. Cum igitur maiores nostri plus gratiæ cælestis, et plus donorum habuerint à Deo, ideò iusta est causa, cur eos imitemur; et tanquam essent ipsi cælestes Orbes, quorum benigno influxu mortalis hæc nostra vita aleretur, oportet illuc aßiduè erectum esse animum nostrum, atque formam viuendi ex moribus eorum, et vita sumere semper debemus.

Quisquis facta parentum suorum, siuè praua, siuè recta audit, eum oportet commoueri animo: planeque careret sensu, si quis ad monumenta, memoriamque suæ domus incuriosè ageret, neque rerum earum auditione commoueretur. At nos hæc sacra monumenta parentum nostrorum, et auitam Ecclesiæ memoriam, vilem, ingratamque habebimus? De vetere Ecclesia, populoque sectatore Christi sic refert Cyprianus Martyr; S. Cyprianus Epist. 9.
Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta est in Martyrum cruore purpurea: floribus eius nec lilia, nec rosæ desunt. *Tanta porrò veteribus Christianis cura diuini honoris fuit, charißimi fratres, vt nocturna tempora diurnis* Plinius secundus lib. 10. Epist. 97. Amianus Marcel. lib. 28.

urnis horis continuarent psallendo per templa, et precando. Versabantur in studio sacrarum Litterarum, remotasque ædium partes ei studio paratas habebant; vnde, sicuti habet Phylo, Cultorum, siue Adorantium nomen inuenere. Contemptores suarum rerum erant, eoque contemptu ab toga transibant ad pallium; qui posteà transitus in prouerbium venit. Vilißimi mortalium habebantur, quia summoperè amabant humilitatem; simplicißimisque moribus cum essent, infructuosi, sterilesque bonorum omnium appellabantur; ijdemque nihilominus propter animi constantiam aduersus persuasiones improbas, obstinatorum nomen habebant. Ipsorum quoque corpora erant plena virtutis, et aduersus ieiunia, famemque, non minore robore, quàm quo animus præditus erat, vtebantur, itaut, si res ferret, decem totos dies absque cibo vllo se se transacturos esse confiderent. Atque inde fiebat, vt tanta puritate essent, et morum castimonia, quantam fuisse apparet illo Gentilium dicto, quod veluti per iocum in ipsos iaciebant; aiebant enim, Christianorum animis maius esse tormentum, necemque atrociorem, si lenoni, quàm si leoni præda fierent. Quam vtique puritatem, et castimoniam vt conseruarent, non in superbis ædibus, sed in subterraneis locis, obscurisque cauernis degebant vitam. Ita verò cupidi erant

Phylo Iud. de vita contemplat. siue de suppl. vir.

Tertull. de Pallio. cap. 5.

Tertull. in Apolog. adu. Gen. cap. 42.

Tertull. in Apolog.

Tertull. in Apolog.

Cornel. Papa ad Lupicinum Episcop. Vien.

Tertull. in Apolog.

pœ-

pœnarum, et martyrij, vt si tale aliquid contigißet, gratias agerent; seque vltro offerebant, et læto vultu obuiam ibant illis, quos tristem aliquem afferre nuncium putarent. Tristia enim, et ærumnosa illa rebus alijs omnibus anteponebant. Ita nimirum est apud Lucianum, cui tantò maior esse debet huius rei fides, quantò atrocior ille nostræ fidei hostis fuit. Denique, charißimi fratres, ea sanctitate erant, vt Apollinis oraculo, nomine iustorum appellarentur. Hæ laudes in veteres illos ab inimicis nostris conferebantur, sic volente Deo, quò maius, illustriusque testimonium esset. O felicem ætatem, o gloriam maiorum nostrorum sempiternam! Quòd si ego narrare nunc instituerem quæ fuerit vita primorum illorum sacerdotum, quæve Pontificum vita, qui tam pium populum regebant primis illis annis, iustiora fortaße nobis argumenta nascerentur insectãdi, atque reprehendendi multorum negligentiam, atquè tarditatem. Fuere illi pretiosæ radices, vnde semen illud propagatum est, ex quo Isaias proseminatum esse cecinit quicquid boni nos seruamus; nam alioqui futuri eramus deterrimi mortalium, atque omnium peßimi. Verba porrò illa, quæ metaphoricè de semine libro primo Machabæorum leguntur, Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos, *pertinent ad vos, sacerdotes.*

Eusebius lib. 2. cap. 49 de Vita Constant.

Isaiæ cap. 1. u. 9.

1. Machab. cap. 7. u. 14.

An

An verò nos vnà cum populo, et turba in fraudem inducemur? Precamur Deum ne quid tale contingat; ac vos hortamur, vt sanctè, atque innocenter agendo, demonstretis, esse vos è summorum Sacerdotum stirpe procreatos. In vobis, fratres, vniuersa posita est spes, quam habemus, sustinendarum Ambrosianæ Ecclesiæ legum, ne spretæ exolescant, atque collabantur. Ac ne putetis alienum esse hoc, quod à vobis expectamus, scitote, proprium hoc munus

Isaiæ cap. 22. u. 24. *esse vestrum, sicuti docent Isaiæ verba;* Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum, à vasis craterarum vsque ad omne vas musicorum. *Quæ cùm ità scriberet Propheta diuinus, hoc ipsum innuit, infinita esse bona, quæ proficisci possint ab altaris ministris, omnemque spem in ipsis fore locatam, si modò tales erunt, quales esse oportet. Sed enim verò quàm arcta est apud nos imitatio salutarium exemplorum, fratres? Tam arcta est, inquam, vt sicut in arcu cælesti iris illa, quam spectamus, alteram iridem priore obscuriorem gignit, ita mores nostri Patrum moribus claritate, ac splendore longè dispares existant. Ac sicuti repercussa vox nemorum, et vallium confractu, paulatim consumit sonum suum: ità imitatio nostra paulatim ad nihi-*

Num. cap. 20. u. 28. *lum deducitur. Cùm in veteri lege iuberetur,*

Aaronis

Aaronis filios vestiri parentis ipsius indumento, mysterium fuit, vt nos praclarè agendi exemplū ab maiorum nostrorum imitatione desumeremus, similesque ijs agendo quodammodo fieremus. Ac sanè nimia vis est exemplorum apud animum nostrum. Mundi enim totius ruina, et labes haud aliunde orta est, quàm ex prauitate exempli, dum primus humanæ naturæ Parens vxorem suam vidit, quæ damnatæ arboris pomum contra diuina præcepta manducabat. Quòd si verba simul, et res ipsæ coniungantur, mirifica vis est ad commouendos animos, atque persuadendum; nec minor vtique est confusio ex hac operum lingua, quæ etiam in Babylonicæ turris substructione exorta est, quàm confusio posßit esse vocis illius, quæ labijs tantùm emittitur, ac profertur. Sed iterum illuc redeo, sacerdotes, fratresque venerandi. Quàm negligentes sumus ad intuendos maiorum nostrorum splendores, eorumque virtutis vestigia quàm negligenter sectamur? Præcipuum est sacerdotum munus, aptè, et accuratè disponere res sacras, easque ad populorum salutem circumferre, prout res ipsa postulare videtur, etiamsi laboriosè id fiat. At nos, malè sustinendo diuinarum legum iugum, sacra ipsa violamus exemplo nostro, planè ad eum modum, quo diuina quondam Arca vergebat ad terram, atque in- 1. Regum, cap. 6. n. 6.

clinabatur ob iumenta, quæ ipsam malè trahebant. Non tamen mystica hæc Arca concidit, quia posita est in curru diuinorum promissorum validissimè compacto, quo ipsa sustinetur, licet varias rerum inclinationes, atque perturbationes in Ecclesia Dei exoriri videamus. Atque ideò non ad gratulandum vobiscum, sed potius ad conquerendum, contra quam fortasse credideratis, in hunc hodiè locum progressi erimus. Et fiet hodiè inter nos id, quod inter Hebræos olim factum est, cùm ipsorum secundum templum extrueretur.
1. Esdræ, cap. 3. u. 13. *Ridebant enim eorum alij quidem, alij verò lacrymabantur. Fortasse crederet aliquis, multitudinem hanc sacerdotum, ordinemque cæremoniarum, qui seruatur in hoc amplissimo templo, lætitiamque, quam vos omnes erga me demonstratis, posse animum meum complere voluptate; quæ quidem cessat illicò omnis, postquam ego conuerti animum ad contemplandam illius antiqui templi maiestatem, iustusque dolor, iucunditate omni depulsa, succedit. Neque verò cadere potest in vos id, quod Machabæorum libro scriptum est, cum de illustrium rerum gloria, quæ agendæ erant, sermo*
1. Machab. cap. 5. u. 62. *haberetur;* Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel; *vel, sicuti Græcè legitur;* Facienda est in Israel. *Et quia tales non erant, infeliciter pugnauere. At*

vos

vos ducitis originem ab sanctissimis illis Episcopis, inclytisque Sacerdotibus, ab Ambrosio, inquam, et à Carolo illo, cuius memoria nunquam extinguetur. Cùm populum Hebraum Ezechiel Propheta obiurgaret, prauos ei mores, et obscuram originem exprobrauit hisce verbis; Radix tua, & generatio tua de Terra Chanaan: pater tuus Amorrhęus, & mater tua Cethæa. *Iam hac, fratres charissimi, nemo dicere de vobis potest. Erit quidem qui exprobret prauos vestros mores: sed originem vestram exprobrabit nemo. Sed cur ab natalibus tantoperè degenerant mores, et facta, tanquam ab arboris radice poma, et fructus? Cur tam diuersa facie nobiles, et ignobiles estis?* Numquid auis discolor hæreditas mea mihi? numquid auis tincta per totum? *Sic enim Ieremias populum illum comparabat volucri distincto varijs pennis. Quamobrem, cauete filij, ne degeneretis ab integerrimis Patribus vestris, qui, sicuti Phylo ait, sunt nonnulla quadam non scripta leges; quorum virtutes in sacrarum Litterarum monumentis, exemplisque actionum consignata extant.*

Ezechielis cap. 16.u.3.

Ierem. cap. 12. u.9.

Phylo Iud. lib. de Abraham.

SECVNDA DIE Synodus eiusdem.

DE MAGNITVDINE status sacerdotalis, ac de ipsius officio.

CONCIO II.

SI in vobis, sacerdotes, cumulatè essent ea omnia, quæ cupit animus meus, aut illud solum, quod nunquam esse vellem, supervacanea hæc mea apud vos oratio nunc haberetur. Nam si viderem, vos esse perfectos, atque sanctos, et omni virtute cumulatos, non monita, neque reprehensiones locum haberent, sed potius commendare vos omnes, et extollere, admirarique deberem. Quod si etiam planè deletus esset eorum numerus, qui mea præcepta, diuinamque legem, et virtutem ipsam sequerentur, non verba, neque obiurgationes, sed seuera supplicia adhibenda essent. Verùm enim verò sunt inter vos sani, et valentes aliqui, debiles, et infirmi tamen, alij verò non optimè valent, suntque infirmissimi: atque ideò nullo nunc alio, quàm remedio verborum vtemur. Quotiescunque ego considerare cœpi statum, conditionemque

que

que vestram, et animi habitum, quatenus ego assequi possum, animaduertere videor, satis opportunum remedium hoc fore, si cogitare nonnunquam institueritis quinam ipsi sitis, et quam in sortem electi, et vocati. Ac tantò magis id præstare vos maximè debetis, quantò magis dedecet vos, et negligentes, et cæcos, et ignorantes esse. Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? Quis cæcus, nisi qui venundatus est? & quis cæcus, nisi seruus Domini? *Quæ sanè verba ego valdè sum admiratus, auditores, quia significare videntur, nullam aliam esse culpam, nisi quæ culpa sacerdotum est. Atque hinc nascetur nobis hodiernæ concionis argumentum, et inquiremus, quinam sitis ipsi, quod ve officium vestrum, et quid agere deberetis.* Isaiæ cap. 42. n. 19.

Quis cæcus, nisi seruus meus? *ait Isaias; in Hebræũ nempe genus loquens, simulque in nos Christianos, et in vestram cæcitatem, sacerdotes, qui tot illustria documenta, et monita, legationesque diuinas accepistis, quos tot diuina beneficia obligauere.* ***Quis in vniuersa hominum multitudine*** *cæcus erit, si non ille erit, qui cùm sit ad Dei præcipuè cultum, seruitiumque destinatus, nunquam videt ea, quæ facit, quæve facere ipsum oportet? Semper Deus, et Dei ministra Natura, moresque hominum, res pretiosas ità circumscripsere, vt et*

tem-

temporibus, et locis certis includerentur, et hominibus quoque tantummodo certis paterent. Ideò, Deus ipse certis temporibus, et locis, certisque hominibus communicat se se singularibus modis. Natura rerum parens, quasi diuina vestigia sequeretur, non impleuit omnia gemmis, et auro; annique tempora variè distinxit, et ornauit; rursusque illa suos honores arboribus ipsis, et animantibus munera varia impertiuit. In antiqua porrò lege populus fuit ab alijs gentibus diuersa consuetudine, et fide; conditioque hominum, et ordines ibi distincti fuere, itaut Sacerdotes, et Leuitæ à reliqua multitudine separarentur; ac præterea, illustria quædam opera certis tantummodò reseruata hominibus fuere. Quem morem Saluator ipse comprobans, Discipulos sibi, et Apostolos elegit, atque inter ipsos Apostolos, nonnullos præcipuè charos habuit, ipsumque Ioannem ante alios, qui dilecti discipuli nomen est assecutus. Atque Magistri sui imitator Paulus inclinat in Timotheum, eumque pari [a] secum præter cæteros voluntate esse ait: Onesiphori [b] domo familiariter vtitur, et Lucam [c] præcipuum assèclam habet: alios in Galatas, in Dalmatas alios, quosdam Ephesum mittit; Titusque [d] charus ei discipulus, immo chara proles Apostolo est; habentque sensum eximium charitatis ea verba, quibus [e] Onesimum,

[a] Ad Philippen. cap. 2. u. 20.

[b] 2. Ad Timoth. cap. 1. u. 16.

[c] 2. Ad Timoth. cap. 4. u. 10. & seq.

[d] Ad Titũ cap. 1. u. 4.

[e] Ad Philemon. u. 12.

ceù sua viscera, commendat. Hactenus in eò versata est oratio nostra, vt ostenderemus, conditionem vestram esse conuentum hominum diuinò nutu segregatorum ab reliqua multitudine sanctioris vitæ obsequijque diuini causa, in quo ante alios versari, atque eniti vos oportet. Hinc postea fit, vt si qua pars officij vestri desiderata est, extrema suscipiatur ignominia, et vituperatio, omnique pœna digni sitis, nisi operum, atque actionum laude cæteros antecellatis. Cæcitas miseranda habet animum vestrum, nisi diuina mysteria subtiliter, et leges, officijque vestri rationem cuiusmodi sit, videtis. Id ità esse, argumento etiam alio efficaciore demonstrabitur, quia nimirū debent in hoc præstare cæteris, vt ea, quæ agunt, accuratè circumspiciant; quod nisi fecerint, omninò cadent in eos hæc verba; Quis cæcus nisi seruus meus? *Ac timeo ego magnopere, sacerdotes, ne cadant in vos etiam illa;* Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. *Quæ breuiter sanè, sed grauissimè dicta sunt, immo seueritatis multum habent: ac sicuti Origenes interpretatur, pertinent ad populi Gentilis electionem, cui populus Hebraicus miserè posthabendus erat; vel etiam pertinent ad Hebræos illos infelices, qui atrocissimum conciuere scelus, vt Christo Saluatori mortem afferrent, in quo scelere Scribæ, et Pha-*

Isaiæ cap. 56. u. 10.

Matth. cap. 19. u. 30.

Origenes Tract. 9. in Matth.

Pharisæi, et reliqua mala turba fuit. Et quoniam in ea multitudine Apostoli erant, atque Israelitarum optimi nonnulli, qui primi fuerant, primique etiam erunt, hinc est, ait Origenes idem, quòd sermo ille quosdam tantùm, non autem omnes Hebraicæ gentis attingit. Etiam potuit illud esse dictum de principatu Angelorum, in quo vltimi euecti sunt ad primos, et primi ad vltimos
Epistola Iudæ, c. 6. *deiecti; ità namque legitur;* Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit. *Demum inquit Auctor idem, verba illa referri ad Christianos eos, qui parentibus procreati iustis, ac sanctis, origine tali gloriantur ipsi quidem, sed ad sacros ordines euecti, prauè agunt, originemque ipsi suam ignominiosè dehonestant. Sanè rectè interpretatur Origenes, aperitque rectè diuinorum verborum mysteria, et mihi auctor est affirmandi, Euangelicum illud, seuerumque dictum*, Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi, *cadere vnicè in eam Ecclesiasticorum hominum partem, quæ vltimo sæculorum die, praua, improbaque reperta erit, et veluti execranda, conijcietur in sempiternos ignes. Iam mecum igitur consideratè parumper, quæ confusio, quiue horror futurus sit tunc, cùm*

tot

tot peruersas sacerdotum animas, corporaque contaminata in sempiternas Inferorum pœnas præcipitari videbimus diuinæ Iustitiæ manu. Quæ ruina, quæ strages, et conuersio rerum tremenda tunc erit? Classis hæc verè miserorum, et infelicium, et cæcorum erit, si cum cætera damnatorum classe comparabitur. Ac sicuti dies ille vniuersalis Iudicij summam rerum vniuersitati perturbationem allaturus est, omnisque natura mouenda loco, et euertenda, cadentibus [A] *è Cælo stellis, et intremiscente* [B] *passim terra: sic in altero Gratiæ Mundo tetra, et noua colluuio mutationum erit. Qui primi erant, vltimi fient: cælestesque Orbes terræ immiscebuntur, et terra subducetur in Cælum; neque suus vlli rei splendor, et honos manebit. Detrudentur è solio suo præcipites qui terris dominabantur; et obscura caligo succedet in augustissimi splendoris vicem. Quæ tunc lacrymæ, aut lamenta, et eiulatus erunt? Sanctissimus ille Iob, cùm sese post summam felicitatem miserijs vrgeri extremis sentiret, status sui conditionem defleuit hoc sono;* Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundùm dies quibus Deus custodiebat me? Quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris? *Sonus idem sacerdotum erit expostulantium, cùm ad Inferorum tormenta ablega-*

A Matth. cap. 24. u. 29.
B Lucæ cap. 21. u. 11.
Iob cap. 29. u. 2.

buntur, memores in quanta fuerint olim dignitate, et honore. Quàm iusta igitur erit exclamatio, Quis cæcus, nisi seruus meus? *Qui seruus ex mortalium omnium numero segregatus est, atque præcipuis legibus obstrictus, et deuinctus. Transferri planè potest in horum conditionem illud ipsum, quod Amos Propheta de Israelitica*
Amos cap.9.u.7. *quondam gente aiebat*; Numquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi, filij Israel, ait Dominus? Numquid non Israel ascendere feci de Terra Ægypti: & Palæsthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene? *Quod perinde fuit; ac si diceret. Nonne vos, Israelitæ, serui mei estis? Nonne velut Æthyopes atri, et velut mancipia, ad nutus alienos parati, et attenti excubatis ad exequenda quæcunque imperentur? Talis est vita sacerdotum, tales vos vniuersi, quos ego nunc alloquor, operibus nempe diuinis addicti, veluti nobilia quædam mancipia Altißimi. Neque seruitus hæc ignominiosa est, sed cæteras omnes vitæ conditiones antecellit: ac nihilominus horum primi fortaße vltimi erunt, et quibus præcipua dignitas*
Thren.cap 4.u.2. *erat, hos præcipua obscuritas habebit*. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? *Hæc tanta nobilitas hominum quomodo recidit ad tantam infelicitatem? Quam ego satis ponere vobis*

bis ante oculos possem, explicando mœstissima hæc verba, si mihi plus temporis daretur. Sed quodnã huic tanto malo remedium inuenietur? Nullum fortasse aliud, præter vnum, quod mihi in mentem venit. Vt nimirum sacerdos ità se se componat, vt in omni laudabili actione, omnique exemplo, et omni heroica virtute non præbeat se se vltimum, qui primus esse debebat. Liberalissima Dei manus hoc tempore, semperque postea larga munera suæ gratiæ in vos effundat, chari sacerdotes, tribuatque vobis, vt maiora in dies Euangelicæ perfectionis incrementa capere possitis ad altissimi Dei gloriam, et laudem.

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

DE MANSVETVDINE, et rigore Pastorum erga subiectos.

CONCIO III.

NIMIVM diuersa est, sacerdotes, eorum conditio, qui sermonibus diuinis, et sacris erudiunt animos vestros ad rectè agendum, ab eorum conditione, qui vilis lucri, vel gloriæ suæ tantùm illecebra, et dulcedine, apud Senatum olim, vel ad superba Regum solia, vel ad promiscuæ multitudinis turbam dicere soliti fuerunt. Ideo, dum à vobis, qui hìc adestis, aliquid exigo, dona vobis offero maiora, et illustriora, quàm si res omnes impetrarem, quæ expetitæ, vel postulatæ essent. Tunc aliena vos dicta locupletabunt, sacerdotes, cùm lubentibus, atque attentis animis, audietis ea, quæ pertinent ad conditionis vestræ altitudinem, et ad leges, siue munera officij, quod sustinetis. Quæ quidem leges, et munera, siue cognita vobis erunt, siue minùs cognita, damna

vobis

vobis æterna, culpasque inexpiabiles afferent, si quid fortasse prætermissum erit. Ac ne ignorantia nonnullorum augeat ipsis, multiplicetque culpas; nostra, qui pastores animarum sumus, interest cogitare, et exquirere, quomodo tales erudiantur. Neque salutaribus tantùm exemplis erudiendi sunt, sed verbis etiam, et omni alia præterea moderata ratione commonendi sunt, atque castigandi. Quam diuinam artem, officiumque Concionator ille gentium cùm videret esse difficillimum, auctorem, et magistrum se se nobis ad illud rectè exequendum præbuit, estque nos ita cohortatus; Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. *Quomodo autem etiam laudabiliter hæc præstare possimus, docent Chrysostomus, et Theophilatus, et Theodoretus, et Ecumenius, et Prosper Aquitanicus, ponentes nobis ante oculos omnia, quæ orationis instrumento apud proximos pengere licitum sit. Atque monita, et dicta Doctorum eorum consideranti mihi, venit in mentem quàm arduum, et quàm difficile sit hoc regendarum animarum opus, quippecum tantam prudentiam, tantamque rerum omnium scientiam requirat, quantam omnino requiri ex verbis illis apparet. Atque posset hinc etiam duci coniectura hæc, non fuisse mentem hanc Apostolo,* 2. ad Timoth. cap. 4. u. 2.

vt

ut certam aliquam viam præscriberet, quæ seruanda omnibus esset, qui animas ad æternam salutem perducere vellent. Voluit enim tantùm ostendere, artem hanc esse maximam, plenam documentorum, plenam arcani cuiusdam vsus, incredibilisque sapientiæ cælestium rerum; neque certam vllam præscribi posse regulam, immutabilemve legem, sed pro temporum, et locorum, et hominum varietate moderandam esse rem ab eo, qui tale munus gerat. Atque ideò Sanctus Gregorius, conferendo inter se duos Apostoli locos, quærit, curnam Titum quidem ille iubeat esse rigidum, et seuerum, Timotheum verò velit uti placidissimis moribus, et quantacumque adhiberi possit, suauitate. In ea litterarum Apostoli consideratione Doctor ille denique statuit, ac definit, fuisse notos Apostolo Discipulorum suorum mores, habitumque animi, et instinctum, ac pro vario illo etiam habitu, et instinctu, alteri frænum, alteri stimulos admouere voluisse. Quod ipsum vt à cæteris etiam aptè, maturoque iudicio fieri possit, diuina Sapientia, quæ lux est animorum nostrorũ, præscripsit optima consilia nobis, quasi verborum obiurgatio parùm ipsa per se sufficiat, nisi attenta præterea cura sanandis, atque conuertendis animis adhibeatur. Neque verò semper importunè, molestèque agendum erit, concionandumve omnibus

S.Gregor.in Pastor.admonit.17.

Ad Titum, cap. 2.u.15.
2. ad Timoth. cap.4.u.2.

nibus horis: et sunt aliqui, quibuscum minùs acriter agi oporteat, potiusque preces, grauitasve sententiarum sit adhibenda. Non debet verò etiam populorum Pastor in concionando tantopere laborare circa motus animorum, vt rationes, et argumenta omittat, quæ manifestè arguere errores possint. Atque ideo rectè Concionator Apostolicus ἔλεγξον *dixit, cui verbo inest non arguendi tantummodo sensus, sicuti nostra lectio habet, sed ita arguendi, vt qui verbis alios facere meliores tentat, rationum vehementia conuincat animos, cogatque agnoscere quæ peccantur. At verò si quis erit, cui parùm placeat hoc arguendi officium, vel qui tali erga se officio parùm delectetur, ideò tam sancta res omittenda erit? Minimè sanè erit omittenda, cùm Apostolus doceat, tantam in alienæ salutis negotio constantiam adhibendam esse, vt ea, sicut Græcè legitur, longanimitas magis, quàm patientia dici possit. Iam igitur tu, quisquis pastor es animarum, argue, obsecra, non cum omni patientia solùm, sed etiam* ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ *in omni longanimitate. Quod animi robur Græcæ vocis interpretatione significatum, non repugnat tamen, prout habet vulgata lectio, quin longa patientia requiratur in eo, qui reprehendendi partes susceperit. Molestæ enim illæ sunt, et acerbæ, et inuisæ omnibus, sæpeque etiam*

pru-

prudentibus, et doctis. Aque ideo minime mirum videri debet, quòd nos Episcopos aßiduè versantes in hoc tam seuero officio iræ multorum inuadant, ac præsertim tunc, cùm alta voce peccata hominum exprobramus, sicuti Græcum verbum habet ἐπιτίμησον, παρακάλεσον. *Neque sic agenti propositum esset exemplum paucorum illustrium virorum, sed multorum, et eiusmodi, quos nulla vnquam ætas satis laudauit. Illud Græcæ Christianæ facundiæ lumen in Oriente inprimis vexauere suorum odia, dum ab ipso reprehenderentur; ac fortaße sequebatur ille Prophetarum exemplum, qui, sicut Origenes, et Hieronymus aiunt, non semper suaui oratione vtebantur. Quin etiã tradidere Hieronymus, et Origenes ijdem, in toto Psalmorum libro adspersas esse reprehensiones, exceptis illis, qui Core filijs attribuuntur. Ac videtur Origenes ipse, dum eam auctoritatem affert, agere quodammodo causam suam, quia durus ipse, seuerusque concionator esset, cùm ex diuerso Alexander Episcopus Ierosolymitanus mansuetißimè concionaretur. Quæ duorum concionatorum tam diuersa inter se conditio, seueri nimirùm illius, et huius mansueti, monet, vt consideremus quantoperè conueniat coniungere, et miscere genus vtrumque, et quasi duas illas personas conferre in corpus vnum, quantum scilicet assequi, et effi-*

Niceph. lib 13. Histor. Ecclesi. cap. 3.

Origenes in lib. Regum, Homil. 1. & ad Roman. cap. 15. lib. 10. S. Hieronymus in psal. 94.

Origenes Homil. vnica in lib. Regum.

cere

cere possimus. Et animaduerto ego hoc etiam loco, sacerdotes, Episcopum oportere lenem esse magistrum, et lenitate, ac mansuetudine cæteros omnes superare: atque id præstare illum eò magis decet, quò maiores, ac propemodum infinitæ existunt misericordiæ, et lenitatis laudes, quoquè plura, et euidentiora sunt ea, quæ ipsa lenitate mirabiliter efficiuntur. Nam sicut Eliseus magnus ille Vates exanimem puerum ad vitam reuocauit, admouendo manibus manus, et pedibus pedes, et labra labris, cùm antea duro, et horrido bacillo nihil agere potuisset: ità miracula eorum, qui patientia, et lenitate sese ad alienas miserias accommodant, huic magno miraculo propemodum æquiparantur. Porrò mansuetudinem hanc spiritus peritus ille sedulusque perfectioris vitæ magister Clemens Alexandrinus designauit, atque innuit, cùm explicaret, qua forma deberent esse Christianorum annuli; atque inter cætera, quæ de ea re præclarè sunt ab eo dicta in Pedagogo, vetat ille, vllam telorum, gladiorumve imaginem annulis eiusmodi esse incisam; columbas quidem, et pisciculos, innoxia animalia, et mitis naturæ pecudes incidi iubet. Etiam altera illa sceptri Regalis similitudo fortasse id ipsum ostendit, ac declarat; quod quidem sceptrum extrinsecùs duro cortice erat, interiùs verò medullam habebat;

4. Regum, cap 4. u. 34.

Clemẽs Alexand. lib. 3. Pedag. cap. 11.

quasi verò charitatem cum iustitia, lenitatem cum asperitate temperare studiosè debeamus. Itaque saluberrimo temperamento poterimus amarum, et dulce miscere sermonibus hisce, qui nobis in hoc conuentu habendi erunt. Neque omittam ego exemplum Apostoli illius, qui Christianis omnibus oratoribus norma esse, et speculum debet. Is, vt Origenes ait, coniungere preces, et obiurgationes, asperitatemque hanc cum suauitate illa libenter consueuit; vt nimirum ea, quæ cuique apta esset via, animæ ad quietem, et ad optatam salutis æternæ sedem perducerentur.

Origen. Homil. vnica in lib. Regum.

PRI-

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.II.
Post reditum.

DE SOLICITVDINE Pastorali.

CONCIO IV.

BENEDICTVS DEVS. Benedictus, inquam, sit æternus Pater cum vniuerso creatarum rerum ordine. Benedictus Filius, cuius sanguine redempti sumus. Benedictus Spiritus ille Cælestis, cuius radijs aßiduè illuminamur. Benedicta Regina Cæli, quam in hoc augustißimo Templo præcipua religione veneramur. Benedicti Angelorum chori, Sanctorum ordines, Martyrum agmina, cœtusque Confessorum, et Virginũ. Præcipuè autem benedictus sit Sanctus noster Pater Ambrosius, cæterique Pontifices, qui vestigia

tigia illius secuti, Ecclesiam hanc laboribus, et studijs, et sanguine suo nobilitauere. Sed quorsum tandem iteratæ istæ benedictiones spectant, quæue nobis causa lætitiæ? An fortasse quod prosperè nobis, ac feliciter aliquid euenerit? Quidnam est illud, quod feliciter euenisse nobis adhuc dicere possimus? An vero gratulamur, et benedicimus ob eam causam, quia tristia multa, et aduersa passi sumus? Hæc sanè nobis causa gratulandi est, hæc altitudo Christianæ philosophiæ, quæ in hac etiam parte magnoperè distat ab vulgaris philosophiæ præceptis, et institutis. Nos vtique rebus aduersis non minus lætamur, quàm prosperis, et secundis; tristitiamque, et dolorem anteponimus felicitati, ac iucunditati: nec minus ob illa, quàm ob ista, gratias agere Deo vnumquemque intimo animi sensu decet. Benedictus Deus. Benedictus insuper Deus, cuius benignitate post longum temporis spatium in hanc sedem congregamur, daturque mihi cernere ex propinquo huius Ecclesiæ nostræ membra, cælestesque meos ordines intueri, quorum adspectu læti gratulamur Pastoribus illis antiquis, qui Ecclesiam hanc administrauere, et gratulamur hisce verbis; Numer. cap. 24. n. 5. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel? *Sacer, religiosusque senatus, et sacerdotale concilium, à quo optimæ leges, et salutaria instituta proficiscuntur,*

cuius

cuius prudentia mores emendantur, animique confirmantur ad rectè agendum. Sacer, inquam, cœtus, et corona sacerdotum, quod tandem hodie sermonis argumentum eligemus aptum loco huic, et tempori; et vobis, qui ad audiendum adestis? Duo sunt synodalium actionum argumenta, vel vt præcipiantur ea, quæ agenda sunt, vel vt ea, quæ iam statuta fuerunt, in consuetudinem, moresque inducantur. Leges quidem, et instituta minimè desunt Clero Mediolanensi, abundèque vobis ab ea parte esse prospectum videmus; nam magni, et multi fuere vestri Pastores: sed culpa vitioque nonnullorum multæ ecclesiasticæ leges, multaque simul laudabilia instituta iam fermè exoleuere. Non igitur instituta legesque Pontificum nostrorum obseruantur? Non illius præsertim, quem nouissimè spectauit ætas nostra, et admirata est? Non illius, qui pietatis singulare ornamentum fuit, eritque semper? Diuini hominis igitur leges, et præcepta negliguntur? Vir ille [A] Dei, et [B] desideriorum, et [C] Domini seruus, quibusve alijs nominibus sacræ Litteræ sanctos homines prosequuntur, ille, inquam, frustrà præcepit ad salutem, dignitatemque nostram tam multa, et sanxit? Frustra vtique, sicut videmus. Quod remedium, quamve diuinam artem poterimus tandem adhibere, charissimi fratres, vt malum

A 3. Regū cap. 13. u. 4.
B Danielis cap. 9. u. 23.
C Deuter. cap. 34. u. 5.

hoc

hoc tollatur, ac sanetur? An fortasse studium, an vigilantiam, quæ sunt fida custodia, et vinculum actionum humanarum? Hortor vos ad id studium, et ad hanc vigilantiam; idque nobis hodie argumentum erit. Cecidere igitur antiquæ leges, nec amplius ea suum honorem, dignitatemque conseruant. Soluta disciplina populi, corruptique multorum mores satis hoc testantur; et adspectus ipse sacerdotum, in quibus venerandi, et antiqui mores desiderantur, clamat id ipsum, angitque nostrum animum, et præterita simul, et præsentia mala demonstrat. Video faciem templorum immutatam: video pro ornamentis squalorem, habituque humili Sponsam: et vbi sanctæ, spiritualesque deliciæ olim habitabant, ibi ne munditiæ quidem, et nitor perfectus nunc apparet. Interest vestra, meaque, sacerdotes, adhibere remedia, sarcire damna, et proprijs sustinere humeris labantem hanc fabricam, et ruinosi huius ædificij molem. Nos sanè, si quis vitæ nostræ rationem exquireret, minime possemus inclyta illa verba pronuntiare; Viginti annis fui tecum? oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas: die noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque

Genesis cap. 31. n. 38.

som-

somnus ab oculis meis. *Videtisne longa hæc tempora seruitutis, continuatosque labores? Videtis opera varia, et admiranda, fertilitatemque incredibilem, et temperantiam, et animi robur, et iustitiam, et fidem, vigilatasque noctes, quæ omnia, ceu conserta ex floribus corona, diuini Pastoris caput cingebant? Nos verò poterimusne tale quicquam de nostra seruitute profiteri? Potiùs ità conqueremur, atque lamentabimur;* Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, *et reliqua illa, quæ sponte nunc à me prætermittuntur. Quin etiam vereor, ne multis cum lacrymis, atque suspirijs dicantur nobis aspera illa verba, quibus respondere durum erit;* Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cùm visitauerit te? *Dura sanè lex, et seuera, quæ nos ad custodiam gregis excubare iubet: parique rigore dicta sunt illa verba, quæ de animarum gubernatione sacrarum Litterarum auctoritas habet;* Custodi virum istum; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius. *Quòd si conuertamus animum ad humanæ solicitudinis contemplationem, planè comperiemus, eam in suarum rerum cura infatigabiliter versari. Quæ tam auersa voluntas vnquam, tamve turbatus, atque tumultuans animus spectatus est, qui posset cum illa Acabi solicitudine comparari, quæ vineæ*

Isaiæ cap. 6. u. 5.

Ieremiæ cap. 13. u. 20.

3. Regū, cap. 20. u. 39.

vnius

vnius causa suscepta erat; de cuius quidem cura abiectione, et miseria ità scriptum reperimus; Et proijciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. *Atqui nos contemnemus Cæli fructus, et arborem vitæ, diuitiasque sempiternas, et salutem animarum, quæ fidei nostræ commissæ fuerunt? Non somnum, et cibum, et quietem, tanquam inimica omnia curæ huic, odio habebimus? Reperio ego, tria esse pastoralis negligentiæ genera, et culpæ huius formas tres; nam aliqui dormiunt intemperanter, occupanturque somno, et sepulti illic iacent, nulla gregis cura. Tu igitur pastor es, et dormis? Quod portentum, et quale monstrum cum portento hoc, et monstro conferri posse arbitramur? Atque talis monstri nouitatem Christus ipse demonstrauit, cùm dormientem Petrum hisce verbis increparet;* Simon dormis? *Ad Petrum hæc præsertim verba pertinuere, licèt cæteri quoque Discipuli dormitarent; nam primus ille pastorum erat, isque non gregi solùm præerat, sed pastoribus etiam alijs praeesse debebat; et quoniam, prout Theophilatus ait, maioribus se se promissis obligarat, sicuti nos sacerdotes obligamur. Atque inter cætera, de quibus gloriabatur antiquissimus ille Hebraicæ stirpis Pastor, hoc etiam fuit, quòd fugisse somnum omnem ab oculis suis ille prædicare pos-*

3. Regum, cap. 21. u. 4.

Marci cap. 14. u. 37.

Theophilatus in cap. 14. Marci, & in cap. 26. Matthæi.

Genesis cap. 31. u. 38.

poßet. Somnus ille non expectabat aliena imperia, nulla cunctatio, nulla aduersus oculos lucta, sed ne aspici quidem volens, tanquam verecundia et pudore latitabat. Illud tamen minimè dubium est, o sacrorum mysteriorum administri, quin sub figura somni, quo mortalia hæc membra opprimuntur, alter ille somnus animæ damnosior reprehendatur; nosque sic inuitemur, vt in perpetua verborum, et cogitationum, et operum vigilia semper simus. Id autem ita erit, facilèque succedet, si ea cura salutis alienæ insidebit animo, quæ somnos pellat. De Dario ita est in sacris Litteris, dum ille Danielem in lacu leonum, circumlucentibus ferarum linguis, haberet, nullam eum capere potuisse partem quietis. Ac de tanto Rege ita scriptum est; Et dormiuit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc Rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit: appropinquansque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamauit,& affatus est eum. Danielis cap. 6. u. 18.
Quònam hinc abijt Regiæ maiestatis decus? Vbinam seueræ illæ, et tantoperè custoditæ à Regibus decori leges, et instituta seuera tuendæ dignitatis? Seruus erat Daniel, et reus fiebat, et in ea terra inquilinus erat: nec de animarum iactura, sed de corporis vnius salute agebatur. At tu, pastor animarum,

marum, alto ſopore preſsus iaces? Sed in minore, nec tamen ſine aliqua ſomnolentiæ culpa ſunt alij, quos pigros, et obliuioſos, et languentes animis appellare poſſumus. Quàm minimè deceat nos eſſe tales, non eſt longa oratione demonſtrandum. Sanè ad noſtra, alienaque pericula vigiles cuſtodire oculos deberemus; quandoquidem ad liberandam eam fidem, quæ vulgò datur amicis, ſalutare hoc Prouerb. cap. 6. u. 3. *in diuinis Litteris præceptum extat;* Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. *Parem ego ab vnoquoque veſtrum vigilantiam requiro, vt ſcilicet Regis ſaltem illius ſolicitudinem imitemini, qui ſomnij vnius interpretatio-* Danielis cap. 2. u. 1. *nem requirebat. Regi illi Nabuchodonoſor magna erat ſolicitudo ſomnij cognoſcendi: publicæ promulgantur leges: vocantur arioli, et ſuperſtitioſa diuinatorum capita. Poſtquam adfuere, ſomnium ediſserit Rex, atque ex interpretantium ore ſuſpenſus hæret. Poterat vtique ſomnium illud aliorum etiam attingere conditionem, et ſtatum, nihilque calamitatis, et malorum portendere Regi: attamen ille ſolicitas, et inquietas horas agit. At de te, ſomniculosè paſtor, dubitari non poteſt, quin ſalus, interitusve animarum te vnum attingat,*

pro-

propriumque munus hoc sit tuum. Verum timeo ego, ne dormitante semper, et somniante te, recidat eò demum res, vt somnia tua exitium tibi, perniciemque vltimam ferant; quo exitio, et pernicie, peracta denique interpretatio erit. Est autem tam varia, multiplexque natura lethargi, et somnolentiæ huius nostræ, vt multi, offusi tenebris ignorantiæ, atque intra obscuritatem illam abditi, et clausi, iaceant sopitis altè animis, excusentque sæpe quòd ob luminis penuriam minimè excitentur. Peccant isti negligentes, tardi et segnes ignorantia potiùs, quàm prauitate animi, licèt in huiusmodi rebus magna sit etiam ignorantiæ culpa, omnisque prauitas ignorantiæ nomen habeat. Hæc igitur ignorans negligentia, artium inimica fermè omnium, tam perniciosa res est, vt Rex ille Pharao, non in grauissimarum tantummodo rerum administratione, sed in cogendis frumentis etiam procul ab Regia sua domo penitus ablegandam existimauerit. Ideo legitur; Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Genesis cap. 41. u. 38. *Tantumne igitur sapientiæ requirebatur, vt hordeum, et frumenta, et legumina haberentur, et ob eam vitam, quæ nobis communis est cum bestiarum grege? Ideone requiretur aliquis, qui humanæ naturæ conditionem superet, et vincat? Qui spiritum Dei habeat? Qui tantus vir sit;*

vt nulla ferè spes relinquatur, posse talem virum inueniri? Iam igitur quinam erunt sacerdotes, quos verè pastores animarum appellare possimus? Quanta sanctitas, et quanta virtus in illis requiretur? Nam si munus vllum vnquam fuit, cuius muneris partes omnes summam sapientiam, diligentiamque requirant, sacerdotale id munus est, cui muneri tanta insunt officia, et munera, quanta locus ille Ezechielis declarat; Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam: & pascam illas in iudicio. *Quæ fuit vnquam ars ignorantiæ magis inimica, quàm inimica hæc fuit? Quæ scientia plus varietatis, et plus mysteriorum, plusque altitudinis habuit? Sed video ego quidnam homines isti allaturi sint ad somnolentiæ, inertiæque, et negligentiæ defensionem. Nam fortasse dicent, nimia se decretorum, et legum multitudine circumueniri; superuacaneas esse leges, et minutas, et inutiles, et natas in nullum alium vsum, quàm vt sua mole impediant, opprimantque animos, ne in suo munere rectè versari possint. Non mentem vnius, non manus esse tantæ molis capaces.*

Ezechielis cap. 34. u. 15.

Atqui

Atqui hos meminisse oportet, res etiam minutas, et humiles indigere magnis artificijs, vt rectè peragi, et administrari poßint. Sed omissa rerum eiusmodi machinatione, ac difficultate, reperiemus, etiam in Gratiæ mysterijs minutæ huic diligentiæ locum, et honorem fuisse. Consideremus quæso parumper, charißimi, Tabernaculi structuram, neque vniuersam illam, quod longum nimis esset, sed minimam eius partem, cortinas nempe, et velum. Ea structura cortinæ sic descripta extat. Erit cortina Tabernaculi ex bysso retorto, et hyacinto, et purpura, atque ex dibapho. Erit varijs distincta operibus, subtilißima textorum arte cælata, et elaborata. Habebit in longum viginti octo cubitos, latitudo quatuor cubitorum erit; eaque dimensio exactè custodietur. Quinæ coniungentur eodem modo, vt cohæreant vicißim sororum instar. Annulli verò ab lateribus ipsis, et in summo, cærulei coloris erunt, ac rectè connectentur. Quinquaginta, non ampliùs, erunt vnci, cohærebuntque ita, vt alter alteri conseratur, et aptetur. Erunt item quinquaginta parui circuli ex auro ad contrahenda vela; atque ita Tabernaculum extruetur. Vidistisne vos igitur minutam hanc diligentiam? Attendistis quàm particulatim, et exactè ad tædium vsque ista præscripta videantur? Ac ne fortasse quispiam ista parui Exodi cap. 26. u. 1.

fece-

fecerit, veluti leuia quædam sint, consideret, ac reputet secum verba illa, quæ de re simili loquuntur; Omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris. *Alibi item*; Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. *In nouæ Legis etiam mysterijs; id, quod leuissimum alicui videri posset, sacræ Litteræ tractant, atque persequuntur;* [a] Neminem per viam salutaueritis. *Et in ædium ingressu*; [b] Salutate eam dicentes: Pax huic domui. *Et in itinere* [c] *baculum ne habeatis. Peto nunc ego à vobis, vt res hæc tota decidatur, finisque sit huic disputationi; statuaturque tantùm, an talibus exemplis, rationibusque consideratis, possint sacerdotes expostulare, quòd nimiæ sibi leges impositæ sint. Quòd si vnquam vocem emisistis, nunc vtique emittenda est. Adsunt Iudices ad iudicandum sanctissimi, et incorrupti, et diuini. Non autem ego, non vos ipsi iudicium hoc peragetis; nimiùm enim tarda nobis oculorum acies est, vt res tantas dijudicare possimus. Iudice Moyse in illa descriptione Tabernaculi res peragetur. Iudices erunt Euangelistæ, qui Christi retulere verba. Iudex Deus, qui Tabernaculi formam cum minuta illa diligentia præscripsit. At vbinam inueniemus magni Pauli asseclas, et imitatores; qui gloriosa illa, et magnifi-*

1. Paralip. cap. 28. u. 19.

Exodi cap. 25. u. 40.

[a] Lucæ cap. 10. u. 4.

[b] Matth. cap. 10. u. 12.

[c] Matth. cap. 10. u. 10.

ca verba vſurpare poßint? In labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. *Vbi nunc generoſi illi ſpiritus, flammæque ardentes?* Inſta opportune, importune: argue, obſecra, increpa. *Vbi ardens deſiderium videndi faciem filiorum? Vbi vigilatæ precibus noctes, iunctique noctibus dies ſaluandorum populorum cauſa, ſicuti à magno Paulo eſſe factitatum ſcimus? Quis noſtrum moritur, viuitque ſimul alienæ ſalutis cauſa, ſicuti Paulus idem ille viuens moriebatur?* Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. *Quod vt facere poßitis, Pater ille conſolationum, atque miſericordiarum, larga manu vobis concedat.*

2. ad Corinthios cap. 11. u. 27.

2. ad Timoth. cap. 4. u. 2.

1. ad Theſſalon. cap. 3. u. 10.

1. ad Theſſalon. cap. 3. u. 8.

2. Petri, cap. 1. u. 10.

SE-

SECVNDA DIE
Synodus eiuſdem.

DE AVARITIA nonnullorum ſacerdotum.

CONCIO V.

QVOTIESCVNQVE conſidero ego, ſacerdotes, fratreſque in Domino chariſſimi, quanta ſit maieſtas, et altitudo ſacerdotalis noſtri huius ordinis, in mentem mihi venit locus vnus, qui inter cætera ſacrarum Litterarum teſtimonia, et monumenta, nobili quadam, et magna admiratione mouet animum meum. Locus autem ille eſt de ſacri olei
Exodi cap.30.n. 23. *miſtura, et compoſitione, quæ deſcripta in Exodo, tribus præſertim à Deo præceptis ſancitur, atque continetur. Primùm namque omnium præcipiebatur, vt ſacrum illud oleum variè, ac pretioſè miſceretur: miſtura dein ipſa vbi facta eſſet, vngerentur eo liquore ornamenta omnia altaris, et vaſa, quæ ſic inuncta, et delibuta ſanctificabantur. Præceptum verò tertium erat, vt cum ſua prole Aaron inungeretur; quos ſic inunctos gratia, et ſanctimonia ſequebatur. His ita conſtitutis, atque* præſ-

præscriptis, verba hæc adduntur; Caro hominis non vngetur ex eo: *Et paulò post præcisè vetantur exteri, et alienigenæ partem vllam vnctionis illius vsurpare. Nimirum igitur apertè pronuntiatur, atque declaratur hoc loco, sacerdotem, nec hominem esse, nec carnem; eaque sententia diuinitus fertur. Iam igitur quantam nos existimabimus altitudinem esse hominis vnius, qui diuersa à cæteris mortalibus conditione non homo sit, neque caro? Ac planè de tali homine pronuntiandum est id, quod ab Rege illo tantopere solicito de famis imminentis calamitate dictum fuit;* Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? *Immo qui spiritus ipse? Verùm, quid tandem de sacerdotum illorum miseria statuendum erit, qui non solum corpus, carnemque habent, sed toti sunt corpus, et caro, et cum ea ignobili mole abiecti humi, demersi rerum humanarum cupidinibus, argentique, et vtilitatum votis cernuntur? Hæc omnia nobis hodierni sermonis argumentum erunt. In Leuitico est, Templi valuas illis clausas fuisse, qui curuis corporibus à natura notati, ludibrium, atque deformitatem illam præferrent. Talis est deformitas, ludibriumque, et persona, siue figura sacerdotum, qui dediti curis huiusmodi, semper intuentur terram, nec ab eius vnquam adspectu oculos mouent.*

Exodi cap. 30. u. 32.

Genesis cap. 41. u. 38.

Leuit. cap. 21. u. 20.

Indignum sanè vitium, et indigna res, si vlla alia, ordine, et conditione sacerdotum, quos cælestium orbium instar, oporteret instillare terris virtutem suam, nihil ex terra vicissim haurientes: ac si quid tamen haurirent, id deberet esse nebularum instar, vaporumque subtilium, quos Cæli virtus non recipit in corpus suum; sed redonat terris, vnde imbres opportuni, et fœcundi ventorum flatus, et commoditas ipsa nebularum manat. Ad eum planè modum intererat nostra, qui terrestres orbes sumus, quidquid ex terra captum, et haustum haberemus, id ipsum ingerere terris, totumque ad eorum vtilitatem et salutem conferre, qui nobis subiecti sunt, vt non solum animarum, sed corporis etiam, et vitæ ipsorum curam geramus. De cautione, modoque, et seueritate in accipiendo, aptè magnus noster Pater Ambrosius hæc dixit; Meliora vtique sacerdotibus damna, quàm lucra sæculi sunt. *Ac de sacerdotum nonnullorum auaritia mirificè Sanctus Gregorius hæc;* Quis locus tutus contra auaritiam, si à prauis sacerdotibus ei aperiantur Ecclesiæ? *Paulum insuper audiamus admirabili sua efficacia disserentem de hoc auaritiæ vitio, atque testificantem in conspectu Dei, quemadmodum ab ea labe ipse longissimè abesset;* Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque

§ Ambros. lib. 8 Epist. ad Marcellum.

§ Gregor. lib. 11. Regist. Epist. 49.

† ad Thess. cap. 2. n. 5.

in

in occasione auaritiæ: Deus testis est. *Atqui non erat, magne Paule, cur solicitus esses; nosque, etiam tacente te, probè agnoscebamus promptam animi tui voluntatem, castissimamque mentem, et incorruptam, et contemptorem animum, non diuitiarum solum, sed sanguinis etiam, si pro Magistro effundendus esset. Sanctus etiam Augustinus amplum, et illustre exemplum reliquit contemnendarum diuitiarum, cùm de eo ità Possidonius scribat;* Testamentum autem nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit. *At Basilius minitanti Præsidi regale patrimonium Bibliothecæ suæ pauperis obtulit. Episcopus verò magnus ille*[A] *Florentiæ, et*[B] *Turonensis alter ille cum illustribus documentis testatam reliquere suam paupertatem. Sed decumæ conceduntur ordini sacerdotum, vt liberi, ac soluti rerum humanarum curis, diuina tantùm curent, atque agant, sicuti Concilij secundi Matisconensis, et Concilij Triburiensis, et Prosperi Aquitanici auctoritate, sed priùs diuinarum Litterarum testimonijs passim declaratur. Cæterùm, fœdos auarorum mores, et instituta peruersa, vestigiaque ipsorum ignominiosa considerantibus nobis, occurrit quædam auaritiæ species, quam ego sordidam, et abiectissimam esse appellandam puto; quæ scilicet etiam in sacra, et diuina inferre pedem audet.*

Possidon. in vita Augustini.

Gregor. Nazianz. orat. de vita Basilij.

[A] In Bulla Canoniz.

[B] Seuerus Sulpitius.

Conciliū 2. Matisconen. cap 5. Concilium Triburien. cap. 13. Prosp. Aquitan. lib. 2. de Vita Contemp. cap. 16.

1. Regum, cap. 2. n. 14.

Impura proles sacerdotis Heli præbuit fœdum auaritiæ istius specimen; ipse namque crudam ex aheno feruente carnem ingluuie sua rapiebat, spurcasque manus immittebat, et altari, sacrificioque inferebat vim. Ac scio ego, Parentem nostrum, Ambrosiumque alterum ex hoc suggestu concionantem dixisse, auaros istos sacerdotes similes esse illis, qui

Danielis cap. 14. n. 14.

furtim idoli cibos raperent, ac vorarent. Sed quanta sit strages animarum ob vnum vile lucrum? Cùm interiectu Lunæ Sol obscuratur, omnes illuc conuertunt oculos; cùm autem medio Cælo clarus, amplusque fertur, raro in augustissimũ clarissimumque illud iubar hominum ora, vultusque tolluntur. Ita nempe tunc magis, quàm temporibus alijs, populorum ora, vultusque intentos esse videmus in sacerdotum vitam, cùm talibus auaritiæ, vitiorumve aliorum sordibus demersi, et inquinati manent. Horret animus meus, sacerdotes, dum reputo ego nascentes semper offensiones, et scandala grauissima ex huius infamis auaritiæ vitio: fœtorem ego cadauerum sentio, nidorque tædarum, et fumus voluitur hic ante oculos meos, et sensum omnem offendit. Video, audioque iurgantes cum atrata turba sacerdotes super pheretro, in quo exangue corpus iacet. Nimirum igitur intelligimus hinc, te quoque iam esse cadauer vnum; facesque illas in tuum exitium nouis

exar-

exardescere flammis intuemur. Non tanta super capite tuo rixa, certamenve erit ante æterni Iudicis tribunal, vbi accusantibus omnibus, non erit qui defendat. Quis autem crederet vnquam id, quod nunc ego sum dicturus? Cum tam fœda res, et ignominiosa sit auaritia, cùmque tam execrabile monstrum in sacerdotum vita sit ea res, non tamen desunt qui faueant ei, plaudantque, et amplectantur. Immo vitium est nullum, quod plura excusationum diuerticula, pluresque latebras, et recessus habeat, in quos, mutata statim facie, se se colligit, atque abstrudit. Statim enim auari isti seuero ore dicent, aliquid esse custodiendum aduersus difficilia tempora, casusque incertos, qui hominum vita impendent. Atqui Caßianus optimè refellit huiusmodi defensionem; eiusque sententia contra vitium auaritiæ, in hunc modum explicata est. Habendi cupiditas, rabies quædam est, quæ auro admoto, atque superfuso, magis ardescit: et quotiescunque rabies ea corripuit animũ nostrum, infatuamur in eo, vt longißima vitæ spatia nobis ipsi polliceamur. Tunc facies morborum, et decrepita senectus, et insana cohors neceßitatum, quas ea secum vehit, ante oculos obuersatur; ac sanè præmia, et quicquid homines iuuenili industria, et melioribus annis sibi coaceruauere, tunc depromendum erit, vt tot mala sustineri Cassianus lib. 7. cap. 7. de Spirit. Phil.

neri

neri poßint. Sed quanam tandem causa tibi est trepidandi tantopere ob infortunia ista, casusque miserabiles, quos ipse tibi proponis, ac depingis? Nimirum ea est causa, quia natura mortalium quàm studiosißimè fugit ærumnas, et incommoda, calamitatesque, commune malum huius vitæ. At quæ maior ærumna, quodvè grauius, asperiusque malum, quàm iacere tot noxiarum cogitationum æstu circumuentum, atque oppressum omnibus horis? Si te semper habet miseria ista, laborque cogitandi, quodnam erit tibi quietis tempus? Præterea, amor ille nimius auri, propriè, ac germanè seruitus est Idolorum, quippecum ab auro ipso, tanquam ab Numine aliquo cuncta poscantur. At senem sacerdotem summoperè cura hæc dedecet ob antiquum illud, non esse viatici multum parandùm, vbi quis iam ad finem viæ peruenit. Sed nodus est alius, qui sacerdotes auaros arctißimè deuinctos tenet, quem nodum ægrè abrumpere, vel soluere possunt; amor nempè propinquorum, quo irretiti tenentur, dum eos rerum egestate oppressos vident. Quid naturæ leges exigant, vt tibi, munerique tuo satisfacias, vix sine vllo errore dijudicare potes; omnis namque animi tui cura iurè suspecta tibi esse semper debet. Crebra est Sancti Ioannis Chrysostomi querela de eo, quod in pauperum necessitates, et incommoda nimium seuerè

Ad Ephes. cap. 5. u. 5.

S. Chrysost. orat. 11. in cap. 7. Epist. Pauli ad Heb.

seuerè

seuerè inquiramus, asperique iudices in eos simus. In propinquos verò suos, ex aspero et rigido iudice, mitißimus atque mansuetißimus illico sacerdos euadit, mutata repente morum facie, animique habitu. Iam si notitia hæc subiret animum tuum, quàm nulla de te cura tangat eos, exueres istam vtique curam, atque charitatem, longèque aliter affectus esses. Horrent sæpe sacerdotem propinqui sui, planè ad eum modum, quo Iobi halitum ipsius vxor exhorruit, sicuti quidem ipse cumulato lacrymis corde conquerebatur. Tunc vnicum solatium afflicto viro fuere amicorum alloquia: nulla ibi propinquorum mentio, præterquam importunæ coniugis, et prolis infelicißimæ, vt aggrauaretur magis dolor. His igitur impertiunt Ecclesiastica bona sacerdotes, quibus non satis est, inutiliter ea profudisse ipsos, nisi etiam consumendas, perdendasque reliquias ijs tradant. Quos quidem ego Ezechielis voce sic alloquor; Iob cap.19.u.17.

Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris: & cùm purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. *Congerunt reliquias Ecclesiasticarum opum in propinquos eos, quos ego vilißimos sacerdotum pedes appellari posse censeo, quippecum peruersis ipsorum actionibus improbè ancillentur.* Ezech. cap.34.u.18.

Turbant charitatis, et misericordiæ fontem; nequè vlla vobis honesta excusatio relicta est, sacerdotes. Præter pauperes et egenos, nulla vobis alia proles. Domus vestra, templum est: hoc ornare, hoc excolere debetis. Vestri fundi, virtutes; hereditas, Cælum. Nec alius tam iustè sibi aptauerit verba illa plena iucunditatis; Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi. *Nec in alios magis, quàm in vos cadunt illa Ecclesiastis;* Considerans reperi & aliam vanitatem sub Sole: vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? *Sermoni meo finis hic erit;* Contenti estote stipendijs vestris. *Habet Ecclesia suos milites; habet iusta præmia; his contenti simus, ne deteriores reperiamur ipsa militari turba: sequamurque Apostoli consilium illud;* Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit.

Psal. 15. u. 6.

Ecclesiastis cap. 4. u. 7.

Lucæ cap. 3 u. 14.

2. ad Timoth. cap. 2. u 4.

Verè felices erimus, ac verè diuites, si militia hac Christi ritè defuncti, tales euademus; vt in Cælo triumphare poßimus.

TER-

SEXTA.

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

DE SACERDOTVM negligentia in tradendis Christianæ Doctrinæ Præceptis.

CONCIO VI.

PARVVLI petierunt panem, & non erat qui frangeret eis., Thren. cap. 4. u. 4.
Quinimmo maius, atrociusque aliquid audite. Paruuli petierunt panem, ***non ab externis, sed à parentibus suis; panem inquam, non vestimenta, pretiosive aliud quicquam, non illustria dona petiere. Quæ portenta hæc audimus? Perijt Naturæ commercium: intercidêre leges, et humanæ sortis iura: et nos fortaße barbaros mores induemus, desinentque homines agere hominum ritu, nec patres erunt qui liberos suscepere? Sed quid tandem est hoc, quod à nobis in hunc modum profertur? Duo infantum genera descripta esse videmus in sacris Litteris, ab ætatis nimirum, et ab animi infantia. Apud*** Matth. cap. 18. u. 3.
Matthæum illud, hoc verò apud Marcum, dum Marci cap. 9. u. 41.
offendi, siue scandalizari pusillos ait. Nos verò

de vtroque nunc genere dicimus, atque suspirantes exclamamus; Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Agemus igitur de sacerdotibus illis miseris, quibus nomen quidem est, et persona sacerdotum; sed id, quod muneris et officij caput est, negligunt, et Christianæ Doctrinæ tradendæ disciplinam adspernantur.* Pasce oues meas *dixit diuina Saluatoris lingua breui amplexa compendio sacerdotale officium. Atque existimo ego, eos, quibus animarum cura mandata est, ex iure diuino præstare debere hoc, vt teneris infantibus elementa fidei tradant. Nam si iam adulti, damnantur ob ignorantiam, culpa id fit tua: si ob prauitatem et malitiam, debueras meliores facere, dum habilis ad disciplinam ætas esset; munusque tuum erat efficere, vt voluntate rectè affecti essent, cùm iam satis intelligentiæ haberent ad ea percipienda, quæ Christi fidelem hominem decent. Atque ita intelligitur, fidei mysteriorum disciplinam, non solùm pertinere ad mentem, et intellectum, sed etiam ad voluntatem, quã tu flexilibus annis ad pietatem Christianamque religionem informare diligentissimè debueras. Atqui reperiuntur in hoc sacerdotum numero qui Angelicùm hoc munus recusent, stragemque sic infantum edant. Dic mihi tandem, quænam te offendit iniuria teneræ ætatis, vt in eam tam acerbè*

Ioan. cap. 21. u. 17.

bè desæuires? Innoxia ætas nihil meruisse potuit, cur ita tractaretur; debuerasque saltem, agrestium ferarum more, parcere simplicibus, et sæuitiam inde tuam abstinere, et leones imitari ipsos, qui, si quando in infantes incidère, parcunt. Neque solùm respicienda sunt ipsorum vtilitates, et commoda, salusque; sed etiam honor habendus ætati, cuius Angeli Patris æterni vultum semper vident. Semel tantùm, et incautè fortasse, fecere Discipuli, vt infantes et pueros à Christi congressu submouerent; idque ille improbauit, deditque signa, quasi turbatus esset. Iam igitur quanti momenti negotium hoc est, sacerdotes, in quo videmus ægreferre, atque indignari Saluatorem, propterea quòd ætati huic impedimento fuisse Discipulos videret. Obsecro ego vnumquemque vestrum, vt velitis imitari, si minùs Christianos, piosque, et sanctos homines, at filiam saltem Ægyptij Regis illius, qui Tyrannus Hebræorum fuit. Nemini fortasse vestrum ignotum est cuiusmodi fuerit lex illa Pharaonis, quæ infantes Hebræos occidi iubebat; qua lege promulgata, credibile est, patres simul, et matres varia ingenia, artemque multiplicem adhibuisse seruandæ suæ proli, et proferendæ vitæ, quã Tyrannus opprimebat. Inter cætera autem, eiusmodi casus accidit, vt per eos dies, quibus iniquum, et impium decretum promulgatum fuerat,

Matth. cap. 18. u. 10. Marci cap. 10. u. 13.

Exodi cap. 1. u. 22.

 fortè

fortè descenderet filia Pharaonis ad flumen recreandi animi causa, et, dum in ripa oberrat vnà cum adolescentularum suarum grege, specusque, et antra contemplatur, videret fiscellam contextam ex iunco, bitumineque obductam. Tunc illa, studio videndi quidnam illud esset, mandauit gregalium suarum vni, vt sublatam ex aqua fiscellam leniter, cauteque, ad se se deferret. Id cùm sedulò factum esset, clausamque fiscellam inuenissent, reclusere septum illud, operculoque reducto, præter omnem expectationem, conspexere ibi infantem, qui, tanquam è somno tunc excitatus, vagire incipiebat. Tunc animum regalem subijt misericordia ætatis illius innocentissimæ, quæ in tam manifesto periculo versata esset; statimque conuersa ad suas, cepit eiusmodi consilium, vt traditus infans Hebraicæ alicui feminæ tanta cura educaretur, quanta si partus ipsius fuisset. Iam igitur considerate mecum quantoperè valeat ad emolliendos animos misericordia, quantusque sensus sit humanitatis. Non illa infantem agnoscebat; tantummodò coniectabat, Hebraicum esse partum, et gentis inimicæ prolem; spretoque tamen patris imperio, seruat infantem, et paternas iras, periculumque omne filia contemnit. At de vestro animo quid tandem dicemus, ò parùm lenia sacerdotum pectora? Vos nostis infantes curæ vestræ

con-

concreditos, ac ciuili etiam lege commissos vobis, patriaeque consortes eiusdem, ac sæpè amicos, et vicinos. Christiani sunt; iubetque Deus geri curam eorum; talique curæ præmium propositum est illud, vt diuinam gratiam abundantius obtineatis. At tu mergi fluctibus infantem sinis, secundaque aqua, et rerum humanarum vortice delabentem negligis, neque tendis ei manum, vt periclitantem in tutum educas? Caue porrò, ne mihi afferas excusationum tuarum inania, dicasque deesse tibi tempus, quod insumas curæ huic, eamque nimiùm esse difficilem, et molestam. Expectat Samaritanam Christus, priorque ad puteum venit; Sedebat sic supra fontem. *Prætereà, dicere possumus, fieri gyrum quendam duarum malarum actionum planè similem ei, quem in pluuijs contingere videmus; quæquidem pluuiæ decidunt è Cælo, quia vapores terra priùs illuc misit: eosque subducit Sol, quia grauis eiusmodi vaporibus humus se se Soli exhauriendam præbet. Non frequentant templa infantes, quia tu non reperiris ibi; non autem ibi reperiris, quia non veniunt illi; atque ita committitur ista errorum vicissitudo. Verùm, si quærere velimus, cuius interfuerat ire priùs, tuas profectò has esse partes constabit. Sustines enim ipse regimen eorum, omnisque cura tibi demandata est. Est quidem eorum*

Ioann. cap. 4. u. 6.

rum culpa, si te non sequuntur; sed maior tua, qui minime praıs, neque te ducem eis prabes. Quis porrò vnquam miratus est, videns obsitum vepribus sentibusque agrum, qui sarculo nunquam, aut aratro contactus fuerit? Ieremia deflentis populi sui miseriam, hac sunt verba; Maiores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, reportauerunt vasa sua vacua. *Eadem est infantum miseria, qui, cùm à parentibus suis ad templa mittantur, non inueniunt ibi sacerdotem, nulloque hausto salutaris doctrina latice, discedunt. Sed fortasse sacerdotes incuriosi circa suam, et populi salutem, argumentum afferent aliud priore argumento etiam ineptius, turpiusque. Dicent enim, non sibi nimiùm expeditum esse sermonem, aptamque linguam, nec gratia naturali, nec exercitatione vlla, vel arte se quicquam vnquam proficere potuisse. Estne tibi facundia, qua domesticos tuos alloqui possis? Estne patri cum sua prole commercium sermonis? Qua lingua non est in eum vsum erudita satis, et facunda? Quòd si exemplum quoque requiris, et vis ipsa verba prascribi tibi, reuolue quaso animo sapientissimum illum sermonem, quem cum filio suo Tobias pater habuit. Audi, fili mi, paterna huius lingua verba, eaque, ceù vita tua subsidium, profunda pectore*

Ieremiæ cap. 14. & 3.

Tobiæ cap. 4. u. 2. & sequen.

tore

tore serua, et custodi. Nunquam ex animo tuo discedat cogitatio sempiterni Numinis. Caue, ne peccatum in animum tuum admittas, neve diuina præcepta contemnas. Teneat semper te cura pauperum, estoque benignus in eos, et præmium in altera vita sempiternum habebis. Castissimus esto, neque vlla turpitudine contaminaueris corpus, animumque tuum. Superbia ne te regat; nam ea fons malorum est. Labori alieno iustam persolue mercedem; quodque tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Hæc plena grauitatis, et salutis verba filio suo puero Tobias effabatur, quæ nec tam multa sunt, nec tam obscura, quin ea facilè comprehendere, et assequi possis, ac facilè etiam, prout dicta sunt, explicare. Vos igitur ego ad Christi scholam voco, sacerdotes, ad scholam, inquam, in qua non est fallaciæ locus. Hæc tantummodo noua ars cordi vobis sit: hanc discite: hoc ego à vobis vnum exigo, et posco. Procul hinc à sacerdotum pectoribus in exilium eant auaritia, socordia, negligentia, somnus. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? *Hæc sunt duo itinera virtutis, hæc duo munera, in quibus Christus ipse sese exercuit, cùm in terris ageret. De eo namque legimus;* Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. *Modò leonis faciem*

1. ad Corinth. cap.4. u.21.

Lucæ cap. 2. u. 34.

S. Bernard. Serm. 2. de Aduentu Domini.

tiem ille, modò hominis habebat. Sanctique Bernardi dictum est, Christum, apis instar, mel, et spinas habuisse secum. Simile aliud Origenes affert, floris nimirum, et virgæ, dum illa interpretatur; Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: *ac deinde subdit; idea Deus est ignis, et consumit; lumen est, et fulget. Alterutrum vobis eligendum est, sacerdotes.* Quid vultis? *Apostolus erat Paulus, Apostolicæque potentiæ amplitudinem adhibere optimè nouerat: sed paternis illis visceribus, quæ charitati magis, quàm rigori amica erant, suam semper orationem exordiebatur. Atque ideo, petendo solum, respondere quodammodo vnumquemque docet, nihil iucundius esse sibi, præter charitatem, et amorem. Amabilem hunc Apostoli morem ego quoque imitari vellem, charissimi sacerdotes; vosque verbis ipsius in hunc modum affamur.* Ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi. *Episcopus ego, vesterque Episcopus, per Christi mansuetudinem, per amorem, quo prosequimini gregem vestrum, per charitatem, quæ insidere debet animis nostris, peto à vobis, vt hæc mea verba, meaque studia, et voluntatem, ad vestrum, aliorumque beneficium, memori semper animo custodire, et sequi velitis.*

Origen. Hom. 13. in cap. 2. Ierem.

2. ad Corinth. cap. 10. u. 1.

PRI-

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.III.

DE MAIESTATE Sacerdotali.

CONCIO VII.

ANTEQVAM ego verba facere inciperem, dubitaui mecum ipse, temerariumne esset credere, libenter vos eo etiam consilio in hunc locum conuenisse, vt me concionantem audiretis. Atque, vt ita crederem, faciebat superiorum nostrarum concionum recordatio in hoc ipso conuentu habitarum cum inusitata vestra attentione, sicuti quidem oculis ipse meis perspicere videbar. Ac dum recolerem animo præterita, omissa dubitatione, statuebam, haud fuisse alienum, quòd de Pastorali solicitudine primùm omnium concionatus hoc loco sim, deinde accesserim ad auaritiam sacerdotum insectandam, ac postremò, veluti quodam artium or-

dine, descenderim ad quædam magis singularia, quomodo scilicet instituendi sint pueri in Doctrinæ Christianæ præceptis. Quæ argumenta, fæcundæ sementis instar, pullulant in animo nostro, et veluti sui similem aliam prolem gignunt: atque ideo similia quædam tractabimus, nec aliunde, quàm à vobis ipsis, argumentum desumetur. De sacerdotio igitur agemus, ostendentes quàm magna ea res sit, et augusta, et digna veneratione omnium, [Psalm. 25. u. 8.] *et cultu.* Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, *canimus in Psalmis. Neque templa tantummodo posita lapidibus, sed viua, et spirantia templa, sacerdotes nempe ipsi, verbis illis designantur. Ita Sanctus Hieronymus verba hæc interpretatur, dum ait, domum Dei ecclesiam esse; gloriam eiusdem, sacerdotes, in quorum animis habitat Deus. Nihil attineret, charissimi fratres, si ego templorum solummodo commendarem ornamenta, et eorum apparatum, corporaque vestra simul, nisi etiam animæ vestræ ornata quædam templa essent. Altaris* [Psalm. 138. u. 17.] *ministri præcipui amici Dei nuncupantur;* Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. *At Hebraicè, loco* principatus, *legimus* ראשיהם *Rascehem; quasi verò sacerdotes sint principes, et capita catcrorum omnium iustorum. Ac Sanctus*

Chry-

Chrysostomus, vt magis amplificaret ordinis huius gloriam, eloquentia, quæ propria ipsius fuit, sacerdotes æquiparauit Regibus. Basilius autem ipse, lumen illud Græciæ totius, ait, sacerdotum Tribum cum Tribu Regum olim fuisse coniunctam, et confusam. Verùm parua sunt adhuc ea, quæ dixi, fratres; nec satis adhuc laudatus est ordo vester. Namque Gregorius Nazianzenus non in hominum, non in Regum numero eos, sed in Angelorũ, et Archangelorum cœtu reponit. Vultque Chrysostomus, in Paradiso sedem esse sacerdotibus inter Angelos, Cælestesque Virtutes, et pro Angelico suo ministerio debere ait ita agere vitam, vt si starent ibi, non indigni sede illa essent. Nec dum satis ampla oratione laudatus est ordo sacerdotum, sed vlterius aliquantò progrediendum est, illustriusque aliquid afferendum. Apud Theodoretum ita scriptum legimus, proprium esse sacerdotis offerre dona; quod perinde est, ac si dixisset, ordinis huius dignitatem in eo esse collocatam. Sciendum est præterea, inter dona omnia, siuè oblationes, maximum, et amplissimum esse sacrificij donum; idque etiam Gregorius Nissenus affirmat. Hæc igitur est excellentia, et altitudo, supremusque gradus, in quo positi sunt et collocati sacerdotes. Tradidit se se vobis Deus, commisitque in vestras manus, ò sacerdotes ter venerandi. Vestri sunt

S.Chrysost. Homil. 4. in Isaiæ verba cap. 6. n. 1 Vidi Dominum.

S. Basilius Epist. ad Amphiloch.

S. Gregorius Nazianz. Orat. 1. de Fuga.

S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdot.

Theodoretus in Eraniste, seù Polymorpho, Dialog. 1. qui Immutabilis inscribitur.

Gregorius Nissenus, Orat. de S. Baptis.

honores illi, quos in inclytum Iosephum congesserat olim Ægyptus; Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi. *Cum Deus suis digitis Adamum formauit, aiunt Sancti Doctores, magnum id fuisse primi hominis decus. Iam verò quodnam hominis eiusdem decus fuisset, si Deus ipse, postquam illum formarat, et post varia munera collata iam in eum, et conferenda deinceps, hoc addidisset; atque ita locutus esset? Scito, Adame, fore olim tempus, cùm non solum gloriari poteris, opus te fuisse manuum mearum, sed etiam cùm tua posteritas, reuerenter, et gloriosè prædicando, dicere poterit, Corpus meum ab ipsa esse effectum virtute sacramenti, eo modo, quo propriè, et verè nos dicere possumus, virtute consecrationis Christi Corpus fieri à nobis. Diuina vox, et ipsius verba effecere omnia: sed maior videtur sacerdotum ista vox, quàm vox ipsa Dei; fiatque nostrum longè augustius est, quàm fiat illud primum, quo creata sunt omnia, si quidem spectetur ex magnitudine rei, quam facimus, nempe ex Corpore, et Sanguine Saluatoris nostri. Proprius loquendi modus est hic, neque amplificandi gratia quicquam nunc à nobis pronuntiatur: neque semel tantùm, sed sæpè, varijsque locis, et tem-*

Genesis cap. 39. u. 8.

temporibus hoc ipsum tale decus à nobis vsurpatur. O sacros digitos administros, atque participes tanti ministerij! Narrat Thomas Cantipratanus de Conrado sanctissimo homine, qui fuit Abbas Villariensis, ac deinde Cardinalis, nocturnis temporibus conspectos fuisse digitos eius consecrationi destinatos, ita lucentes, vt eo lumine, commodissimè vti posset ad legenda, et scribenda quæ vellet. Atque ideò si tempus vllum fuit vnquam, in quo nos meminisse oporteret illius dicti, quod ab Oraculo pronuntiatum fuit, Nosce te ipsum, *nunc sanè id meminisse debemus. Qualis porrò notitia ea esse debeat, docet Sanctus Gregorius, dum nos omnes hortatur ad humilitatem, et ad conseruandam nostri status dignitatem. Non sit igitur in nobis timida humilitas, neque superba elatio animorum. Quòd minimè præstant illi, qui sacerdotium obscurant manifestis primum culpis auaritiæ, libidinum, vltionis, et deinde negligentia circa disciplinam Ecclesiasticam, quam Patres antiqui instituère, vt sacerdotio ipsi honos esset. Studium tibi est, miserrime sacerdos, dedecorare te ipsum, et offendere, nec sentis damnum istud tuum. Flagitia autem ista tua non tantoperè attingunt Episcopum tuum, quàm te ipsum attingunt. Atqui importunas, noxiasque leges hasce putas, nec ad tuam vtilitatem latas esse* ar-

Thomas Cantiprat. lib. 1. cap. 9. parte 3.

S. Gregor. lib. 4. Epist. 10.

arbitraris, ficuti re vera lata funt, et instituta: Salomon fapientissimus Rex noluit, filios Israelis in Regio famulatu, ac ministerio esse, cùm ipsi et milites, et Duces, et Principes esse deberent, à quibus mortales cæteri regerentur. Nolebat enim Rex ille, vllo vel facto, vel verbo contaminari eos, vt mores egregij, ciuilisque disciplina semper in eis niterent. Tu verò status tui conditionem, et sanctæ vitæ disciplinam odisti, atque adspernaris? Inprimis autem expostulare habeo; quòd in habitu, et veste, multa licentia cernatur, nec ea sit, quæ sacerdotem decet. Decora erit tibi vestis, si non detrita nimium, aut contaminata conspicietur; sique aptè longa; et lata erit, rectèque ad tui corporis dimensionem facta. Quòd si non erit hæc forma vestis, præterquamquòd arguetur tuus malè compositus animus, etiam manifesta fuberit auaritiæ labes. Possemque ego dicere, sæpè sub sordido palliolo latere non sapientiam illam antiquorum, sed auaritiam fœdam, atque ignominiosam. Atque hisce contingit, vt in morte tantùm eorum cognoscatur, pauperesne fuerint, an diuites; tuncque, cùm corpus eorum sepelitur, pecuniæ exhumantur; ac pro fama, quæ post mortem splendere deberet, nitet argentum, quod ex loculis obscuris exhauritur. Habeo insuper expostulare, quod indecorè, atque inhoneste plerique sacerdotum agant,

2. Paralip. cap. 8. n. 9.

tum

tum in corporis habitu, tum in omni actione, et vita. Amator ille Romanæ grauitatis, si quisquam vnquam alius, Parens noster Ambrosius dixerat, mentem nostram ex corporis figura esse formatam, atque expressam; isque tanti facere solitus fuit hæc indicia, vt referat, quendam à se fuisse reiectum ab ipso sacerdotali ordine ob indecorum hunc habitum; aliumque minùs rectè composito vestitu, paulò post ab eodem ordine desciuisse. Neque satis est aliquibus euilescere in omnium oculis cum illa morum suorum forma, nisi etiam vltro se contemnendos præbeant, dum laicis hominibus sese famulos tradunt. Conserui igitur Angelorum seruient laicis, atque ministrabunt, cùm de ipsis in Apocalypsi hæc legantur? Vide ne feceris: conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora. *Neque tamen id obsequium aliud fuit, quàm profunda corporis inclinatio, qua sacerdos Angelum illum veneratus erat. Iam quid tandem statuemus de indignis officijs, abiectisque ministerijs, quibus sæpe adiuncta est etiam in Deum iniuria, dum non Angelo alicui, non homini iusto, sed interdum peccatori homini, potiusque Dæmoni humana carne induto, seruiunt, ac ministrant? Non igitur pati debes, tui contemptum à te ipso, vel ab alio vllo mortalium proficisci.* Maximè om-

S. Ambrosius lib. 1. Offic. cap 18.

Apocalyp. cap. 19. u. 10.

Pythagoras in carminibus aureis.

omnium te ipſum reuerere, *inquit Magnus ille Philoſophici moris Magiſter. Id dictum fuit de morali cuiuſuis Gentilis honeſtate, communiſque eius vitæ decoro. Iam quid igitur de ſacerdotis vita dicendum erit, qui ſeruus eſt diuinæ legis? Tantò magis reuereri ſe ipſum debet, quia ſacratus homo eſt, diuinaque myſteria ipſum reſpiciunt. Philoſophus ille volebat, honorem haberi generi humano: nos verò perſuadere non poterimus vobis, vt laudabiliter agatis ad honorem illius, qui non genus ſolum humanum, ſed Vniuerſitatem hanc condidit, atque fabricatus eſt? An minùs valebunt ad continendos animos fræna diuinorum præceptorum, quàm humana conſilia, et admonitiones? Honos, primum ſacrificium eſt, quod Deo exhibemus; qua veluti nota magis, quàm vlla alia re, humana per nos à diuinis diſtinguuntur. Ne igitur fraudemus Deum honore ſuo, neve nos ipſos inhonoratos præbeamus. Indignus omnium bonorum, immo malorum omnium digniſſimus erit, qui corpus, animumque ſuum grauiſſimè ſic oderit, atque offenderit; ac ne iuſta eius querela eſſe vnquam poterit, ſi ſupplicijs quidem omnibus torqueatur.*

SE-

OCTAVA.

SECVNDA DIE
Synodus eiuſdem.

DE VITANDA
Laicorum conſuetudine.

CONCIO VIII.

TAM hebes, tamque tarda eſt humanæ mentis acies, venerandi ſacerdotes, fratres, amicique chariſſimi, vt ſacerdotalis noſtri ordinis conditionem et ſtatum perfectè diſcernere nequeamus; cuius ordinis quanta decora ſint, et quanta maieſtas, heſterna die demonſtrare conatus ſum. Inde verò fit, vt nimiùm arcta familiaritate, frequentique commercio ſacerdotes noſtros laicis hominibus miſceri videamus: quam ego familiaritatem, et commercia increpare ac damnare hodierna oratione conſtitui. Non tamen verba mea hæc in eam partem erunt accipienda vobis, tanquam demonſtrare velimus, beneuolentiam, et beneficia, honoreſque diuidendos eſſe dignitati hominum, et conditioni, non autem virtuti, quam inprimis amare, ac reuereri oportet. Docet enim lex ipſa Chriſti, minimè inſpiciendos eſſe ordines, atque condi-

tionem hominum; et generosa hæc Apostoli verba id ipsum demonstrant; Vbi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus. *Atque ideo ea, quæ ego dicturus sum, minimè pertinebunt ad tollendam, ac diminuendam charitatem, et iustitiam, ordinemque, ac dimensionem eam, quam in omni nostra vita tenere debemus. Quinimmo animaduerto ego, Naturæ quoque lege vetitum quodammodo esse hominibus ecclesiasticis, ne laicorum consuetudine nimium vtantur. Sunt brutorum etiam animantium cœtus in species quique suas descripti, et constituti: aliasque animantes abdidit Natura in pelagus: aliæ sunt incolæ terrarum, et destinata loca tenent: quædam aera scindunt volatu, et proprios singulæ mores, habitumque, et colorem, et sedem habent. Ac veluti vnus, idemque mos omnibus esset, vbi congregantur hæ mutæ pecudes, aggregant ad speciem quæque suam, mutuoque illo conuictu fruuntur cum similibus sui, et quamuis in obscuro lumine, recreantur quodammodo, cernentes in alijs imaginem suam. Hinc est, quòd nusquam cum cete leonem, nusquam cum aquila delphinum, sed ceruo ceruum, et leoni leonem, et tygri tygrim iungi, et adhærescere libenter videmus. Quod si nemora, et siluas, et stagna, et lacus relinquere*

Ad Colossen. cap. 3. u. 11.

quere velimus, hominumque cœtus intueri, legem eandem in communi vita scriptam esse reperiemus. Cùm viro nobili nobilem, et cum fabro fabrum, et cum sculptore sculptorem esse frequentes videmus. Sed fortaße hæc exempla non magnoperè satisfecissent alicui: suntque ideo duæ istæ vniuersales, validißimæ, et antiquissimæ leges ab diuina lege omniũ aliarum origine, ac fonte confirmatæ. Vtinam de laicorum statu pronuntiata vnquam fuere verba illa; Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta? *Sancti adeo erant sacerdotes, et separati à cæteris, vt cum reliqua multitudine minime numerarentur.* Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs Israel. *Vocantur pars, et hæreditas Dei, quæ propriè ad ipsum pertineat. Structura etiam Templi, descriptioque artificiosa, duorum horum ordinum diuersitatem manifestè demonstrant: nam ibi pluribus modis, summoque studio, ac diligentia laici separantur à sacerdotibus. In descriptione quoque Tabernaculi, nunc per vela, nunc per atrium interius, et exterius, perque Sanctum, et Sancta Sanctorum, diuersa loca sacerdotibus, et laicis attribuuntur. Diuinæ Litteræ igitur, et quæcunque alia lex duos hosce distinguunt ordines; sed ita tamen, vt rectè agendi causa coniunctos esse velint in mutuum tantummodo beneficium, itaut sacerdos,*

1. Petri, cap. 2. u. 9.

Num. cap. 1. u. 49.

Num. cap. 18. u. 20.

3. Regum, cap. 6.

Exodi cap. vltimo.

quasi perfecta quadam sphera, planitudinem suam in puncto suo attingat; in puncto, inquam, grauissimarum necessitatum, vel animi, vel corporis, quarum causa accedere proximè ad laicos oportet. Atqui tunc maximè, tanquam infidus, longè refugis; reperiunturque sacerdotes adeò immites, vt vicinos morti filios suos tunc derelinquant, cùm præsentem ipsis opem ferre deberent. Quomodo impetras ab animo ipse tuo, vt amicum, et fortasse vicinum, et fortasse optimè de te meritum relinquas? Naturæ lex est, et non solum ciuilis, et sacra, morientibus adsidere; lexque ea in armorum quoque strepitu exauditur, inter barbaros etiam, ferosque mortales obseruatur. An tu fortasse excusationem afferes ignorantiæ plenam, et stultitiæ, dicesque, iam ægrotum obtudisse sensus, neque esse in quo à te subleuari possit? Quid in eo doceat Philosophia, tibi sciendum est, sicuti ego tibi nunc demonstraturus sum. Sæpe accidit, vt in ægrotis, externo sensu sopito, et quasi extincto, sensus tamen interiores vigeant, durentque; pariterque vegetatiua potentia, et illa, quam animalem, et motricem appellant, obstupefacta maneat, cùm interea illa, quam rationalem dicimus, velocissimè moueatur, atque vagetur in omnes partes. Atque ideò vidit ætas nostra casus horribiles eorum, qui lethaliter peccantes, in extremo

vitæ

vitæ tempore mæstas damnationis suæ significationes reliquere. Sed alia quoque sunt afferenda, per quæ negligentes isti culpæ suæ conuincantur. Anima illa, quam in viuo illo simul, et mortuo corpore languentem spectas, planè est, aut in gratiæ statu, aut sordibus peccatorum inquinata. Si grata Deo, acceptaque est, credas oportet, intra breue spatium fore, vt ipsa purganti igni tradatur, atque ita certa suæ salutis, inuidenda sit nobis, qui adhuc in fluctibus hisce moramur: vel etiam triumphans, et gloriosa, pulchriorque Sole, Paradisi portas statim attinget, atque ibi pro salute tua deprecatrix erit, præmiumque laborum tuorum persoluet illud, vt euadas pericula, et damna, quæ tibi impendent. Quòd si peccato aliquo obstricta esset, deseris tu eam, atque Dæmoni prædam esse pateris, liberèque donas eam hosti, primusque ipse campum prodis, ac relinquis. Sed iam tandem reuertamur eò, vnde digressi eramus. Quòd si exempla quoque requiris, quæ veros sacerdotum mores ostendant, nulla erit mora in nobis; exemplumque pulcherrimum è sacris Litteris afferemus. Vngere debebat Eliseus diuino iussu Regem Israelis: sed ille per familiarem suum id ita est exequutus. Primùm omnium seorsum à cæteris est eum allocutus, ac deinde oleo perfudit hominem: tum aperto ostio, procul ab oculis Princi-

4. Regum, cap. 9. u. 10.

pis

pis ſe ſe ſubduxit. Iam igitur conſiderate mecum huius rei myſterium. Cæremonia erat non modò licita, ſed ſancta, et diuina; reſque honeſta erat, et digna Propheta, et iuxta humanas quoque leges æſtimanda; poteratque inde Eliſeus gratiæ ſibi aditum parare apud Regem, qui Deo propter merita acceptus erat, quemque Deus ipſe ſibi probatū elegerat. Quid igitur dicemus de commercijs inhoneſtis, ac de turpium conſuetudine, quibus te immiſces? Inde poſtea fit, vt arguere ipſos, et emendare non poßis, quia iaces in ſcelerum eorum communicatione, et parte. Iam verò quemnam, chariſſimi, putatis eſſe fontem, ſcaturiginemve, vnde tam amaræ aquæ fluunt, et manant? Credunt infelices aliqui ſacerdotes honori ſibi eſſe, ſi cum laicis frequentiſſimè conſpiciantur; ſeque præterea amari ab ipſis credunt. Laicus igitur ſacerdoti honorem addet? Nonne tu honore, ac dignitate antecellis? Nullum ex laicorum conſuetudine et familiaritate honorem referunt ſacerdotes, ſed ſæpe contemnuntur, ita puniente Deo vecordiam, et ſtultitiam eorum, cùm in ſacrarum Hiſtoriarum monumentis ſcripta hæc legantur;

Lucæ cap. 14 u. 34. & Matthæi cap. 5. u. 13. Si autem ſal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur, *vt conteratur et conculcetur ab hominibus. Neque verò dicant, velle ſe amari*

ri

ri a laicis hominibus, cùm nullus detur amori et beneuolentiæ locus erga eos, quos ipsi contemnunt. Quòd si simulatio fortaße aliqua amoris erit, id fiet, quia instrumentum te ipsum eis præbes ad peccandum, et ad tegenda ipsorum scelera, ne tam fœda cognoscantur. Atque tam fœdis moribus aliqui reperiuntur, vt nullo alio adiumento, quàm consuetudine sacerdotum, fœditas illa tegi poßit, atque eleuari. Verùm, si nulla mea vox adhuc habuit eam vim, vt descenderet in animum vestrum, omniaque momenta rationum contemnitis, moueat saltem vos offensio illa, quæ ex nimia cum laicis consuetudine existit. Atque sic habetote, sacerdotes, in vestra cum laicis consuetudine id ipsum accidere, quod in repercußu vocis contingit, vt nimirum pro vna culpa, quæ commißa à vobis sit, tres, quatuorve, et plures etiam culpæ referantur, sicut vox illa ter, quaterque ingeminat, iteratisque vicibus multiplicatur. Vnica, inquam, nostra culpa alieni animi repercußu, multiplices alias nostras culpas euocat, cùm semel à nobis tantummodo peccatum fuerit. Quando igitur tempus ego illud videbo, cùm sacerdotes mei, quasi collecti in se ipsos, nulla alia præterquam sui ordinis consuetudine delectentur? Sine vt mortui sepeliant mortuos suos; *quandoquidem etiam illud antiquitus præceptum fuit, ne sacerdotes se se* Lucæ cap 9. n. 60.

mor-

mortuis immiſcerent. Conſeruemus honorem, atque dignitatem noſtram vitando celebritatem, et frequentiam, ſicuti prudens, et graue conſilium monet. Si ſanctiſsimi etiam eſſemus, vitare tamen commercium hominum oporteret: ſed multò magis cùm peccatores ſimus, et miſeri, diuini honoris, et noſtræ dignitatis cauſa, conſilium iſtud cuſtodire debemus, quod à grauiſsimis viris in rerum humanarum tractatione cum ſumma laude eſſe cuſtoditum ſcimus.

TER-

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

QVOMODO SACERDOS versari debeat in sua simul, et aliena salutis cura.

CONCIO IX.

ATTENDITE vobis, & vniuerso gregi: *alibique Paulus ad Timotheum*; Attende tibi, & doctrinæ. *Tua ipsius causa studendum tibi est, o Timothee, summoque studio aliena etiam salutis causa enitendum ad sapientiam*; Insta in illis. *Horum vtrumque fac diligentissimè*; Hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. *Atque ita te ipsum seruabis, et salutis portum attinges, partaque salus erit etiam illis, qui tibi aures prabent. Qualem virum, quàm sanctum, et quàm charum ipsi Paulo fuisse Thimotheum putamus? Obsecratque nihilominus ipsum, vt vehementer solicitus sit, non tam aliena salutis causa, quàm sua. Neque verò Apostoli verba fuerunt huiusmodi, quasi diceret: iter hoc calcando, tutiora tibi erunt omnia*;

Act.cap.20.u.28.

1.ad Timoth.cap. 4. u.16.

faciliore, et breuiore itineris compendio, altissimæ virtutis gradum consequêre, cùm de æterna salute, et spirituali disciplina Timothei magnus Magister loquatur. Quam verò vim subesse putamus illis verbis, Attende tibi? *Vis multiplex, et varia significatio inest hisce verbis, continentque ferè omnia, quæ pertinent ad eam curam, qua suæ quisque saluti consulere debet: continent nempe studium precationis, culparum propriarum minutam cognitionem, et exercitationem in omni genere virtutis, et curam sensuum, et seueram moribus excolendis disciplinam. Oportet igitur diuini altaris ministros duobus vacare muneribus, vt nimirum in externa actione seruiant alienæ saluti, interiore autem cura suam ipsorum salutem quærant. Qualis debeat esse vita sacerdotum, ait Gregorius Nissenus, virga illa Moysis optimè declarat. Asperum, et durum esse corticem illius oportet, vt scilicet labores et incommoda omnia perferantur, sed interiùs humore vitali, et dulcedine refertam esse medullam; quæ duæ partes, et qualitates ad populi salutem valde vtiles, verbis illis Ieremiæ intelliguntur;* Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine: & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. *Gregorius verò Magnus dixit, cilicium, quo Tabernaculum tegebatur, pertinuisse ad significandas soli-*

Gregorius Nissenus in vita Moysis.

Ieremiæ cap. 31. u. 14.

Gregor. Magnus lib. 25. Moral. cap. 16.

solicitudines, et molestias, quæ alienæ salutis causa sustinentur; interius autem fuisse manna, et aurum, quasi symbola mansuetudinis animi, atque deliciarum internarum. Sed quis crederet, reperiri nonnullos, qui falsis excusationibus suas tegere culpas conentur? Ac reperti sunt qui dicerent, non satis esse sibi otij ad munus vtrumque exequendum. An verò, fratres, munera hæc tam difficilia sunt, atque tam inter se contraria, vt coniungi, atque cohærere non poßint? Talem ego querelam ex multorum sacerdotum ore audiui, cùm dicerent, molestias, et impedimenta, occupationesque pastorales esse magnas, ac propè intolerandas. Iam igitur ego vos alloquor, qui in muneris vestri exequendi cupiditate tantoperè flagratis. Estne vobis talis animus, ardetisque charitate, et vultis omnino aßequi illud, quod vestri muneris est, quodque vehementer desideratis? En facilem, expeditamque viam. Complectimini alios amore quàm tenerrimo, et prodesse illis studete: sed inprimis curate vos ipsos, et vosmetipsos amate. Hæc respiciens Origenes, dixit, Sanctos esse ambidextros, prauos verò homines quodammodo ambisinistros. Atque ita in otio etiam, et tranquillæ vitæ statu, poteritis prodesse quàm plurimis. Ita nimirum Eliseo accidit, vt, cùm Dei populus cingeretur hostium copijs, sederet ipse, at-

Origenes Homil. 3 in cap. 3. Iud.

4. Regum, cap. 6, v. 32.

que sedendo, plus prodesset, quàm exercitus ille armatus, et directa in pugnam acies prodessent. Nisi etiam inclytus ille Moyses stetisset, totus populus delebatur: ideoque legitur; Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. *Psalmus ille narrat beneficia Dei erga genus Hebræorum, pessimusque animus declaratur eius Gentis, cui diuina bonitas semper prodesse voluit, nunc beneficia, nunc supplicia varijs modis dando, atque immittendo. Moysis vero temporibus extrema flagitia commisere, tantaque fuit eorum nequitia, vt meriti fuerint extremas è Cælo iras, internecionemque totam, ita ut in omne deinceps æuum cæteris populis exemplum ipsi fierent. Arbitror ego, notum esse vnicuique vestrum, sæpissime expugnari vrbes sternendo mœnia, quibus patefactis, per ruinas illas, quasi per gloriæ suæ portam, victor exercitus ingreditur. Hiatus ille, quem nostra lectio, confractionem appellat, quæ confractio, et dissensionem, et ruinam, et punitionem significare potest, Hebraicè exprimitur voce ea, quæ propriè significat hiatum illum muri, quem impetus violentiaque militaris facit. Ibi stetit Moyses, humiliterque apertis brachijs aditum intercludere diuinæ iræ conabatur; atque supplex sic aiebat*; Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me

Psal.105. u.23.

Exodi cap.32.u. 32.

me dè libro tuo, quem ſcripſiſti. *Nonne populus iſte charus erat, ac dilectus? Nonne proles Iacob, et Abraham, et reliquorum, qui tibi chariſsimi fuere? Iam igitur conſiderate vobiſcum quid ſit agere ſimul, et precari, myſteriumque cognoſcite verborum illorum*; Attendite vobis, & vniuerſo gregi. *Sed ſicuti probi ſacerdotes ſe ipſos augere, ac locupletare ſanctis actionibus optimè norunt, ſimulque prodeſſe ſubiectis populis numquam deſinunt: ita è contrario praui ſacerdotes, tamquam arbores infœcundæ, aridæque cautes, nec ſibi, nec alijs fructum vllum ferunt; in quos propriè cadere videntur illa*; Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ. *Sed quanam tandem ratione poterit aliquis negligere ſui ipſius curam, ac deinde curam agere ſubiectarum animarum, eaſque conſeruare, ac tueri? Quomodo poterit aliquis in alienæ ſalutis negotio ſtrenuè agere, ac ſibi ipſi otiari, et languere? Quòd ſi propriæ vtilitatis cauſa modicum ſuſtinere laborem non potes, quomodo grauiſsimos labores alienæ vtilitatis cauſa ſuſtinebis? Stultum eſt, cùm propria deſerueris, aliena curare. Cur tu expectes illam à Deo facultatem, vt prodeſſe alijs poſsis, cùm in hunc diem immemor tui ipſius reperiare? Non ego difficilè arbitror cuſto-* Epiſt. Iudæ, u. 12.

dire

dire alios ei, qui se ipsum custodiat: sed arbitror, non posse alios custodiri ab eo, qui se ipsum negligat. Nullo modo fieri potest, vt aliquis in publica salutis cura versetur, qui propriam, et occultam suæ mentis curam negligat, atque contemnat. Tales autem homines neque præditos esse, neque carere ratione quispiam dixerit: non bestias, quia nullam suæ salutis, et conseruationis curam agunt: non homines, quia salutem hominum aliorum contemnunt. Hos ego quomodo alloqui, vel quomodo tractare debeam, planè ignoro, hæretque animus meus in huius rei deliberatione planè dubius, et anceps. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? *Sed pronuntianti mihi hæc ipsa verba videtur aliquis benigno placidoque sensu dicere, sermones nostros in hoc ipso loco, et conuentu, superiore anno clausulam eandem habuisse, facilèque potuisse variari nunc sermonis argumentum, et formam. At ego singulis vestrum pari lenitate in hunc modum sic respondebo. Scitis curnam ad easdem interrogationes oratio nostra reuoluatur? Quia nullum adhuc vestrum elicere responsum potui: atque ideò redimus ad illud;* Quid vultis? in virga veniam ad vos? *Non ego verba, sonumque inanem, nec dubia promissa posco, aut expecto, sed fructum, et rem ipsam, et mo-*

1. ad Corinthios, cap. 4. u. 21.

morum emendationem, et laudabilia opera, et responsum denique hoc vnum. Atque ideo, veluti rauca, et languida vox magnanimi illius Apostoli, interrogationibus ijsdem compello, et excito vnumquemque vestrum. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? *Quæ sanè verba Pauli, mirifica, et multa continent, suntque plena mysteriorum. Primùm omnium ille amplissimam suam puniendi potestatem declarat: quæ potestas à capite Christo, Apostolisque sanctis longa successione in totum Ecclesiæ corpus propagata est. Idem verò, petens à Corinthijs, præmiane malint, an pœnas, apertè declarat, vtriusque rei discrimen ex iustis, iniustisque actionibus, non autem ex sola Antistitis voluntate, pendere. Præmiane vultis, an pœnas, sacerdotes, qui hìc adestis? Vestra mihi voluntas in hoc expectanda est, idque exequendum, quod responsum à vobis erit. Ita se se quodammodo excusat Apostolus, si pœnas adhibeat; modestèque apud auditores agendo, beneuolentiam sibi conciliat. Sed quanta vis, quantumque mysterij inest Apostoli verbis, dum ille ita interrogat, atque percunctatur? Habet ea interrogatio persuadendi vim, confirmatque Corinthios; dataque potestate respondendi prout velint, rectè, ac prudenter respondere ipsos cogit. Vtramque proponit partem, vt meliore*

vtan-

vtantur; ac demum, omissa persuasione, persuadet. Hæc fuit ars diuina, inquit Chrysostomus; quã sequens artem sanctus Ioannes, non petijt ab auditoribus suis, vt Christum sequerentur, sed tantummodo Saluatorem indicauit verbis illis; Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. *Scilicet vt vltro postea sequerentur eum, atque in fide constantiùs manerent. At ex vestro numero quis tandem, Apostoli sapientiam intelligens, vimque verborũ eius agnoscens, respondeat alacritate summa;* Venias, venias in charitate, & spiritu mansuetudinis? *Nos consilia, et præcepta Pastoris nostri libenter exequemur, obedientesque erimus. Scribantur nobis salutiferæ leges; nos eas esse sanctè custodituros pollicemur: neque solum vt Pastori nostro obediamus, sed vt eius etiam memoriam honoremus, cuius ossa hìc ante oculos nostros iacent, nosque alloquuntur, et monent, et ad ea, quæ agenda sunt, vocant. Talem ego animi deliberationem expecto, charissimi fratres, præmiumque hoc orationi meo posco, et spero.*

S. Chrysostomus Homil. 17. cap. 1.

Ioan. cap. 1. u. 29.

PRI-

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.IV.

DE LABORIBVS, qui versantur in omni Sacerdotali ordine, et statu.

CONCIO X.

ECCE tertio hoc paratus sum venire ad vos. *Ac tanta est mea fiducia vestræ pietatis, tantumque mihi de vestra beneuolentia promitto, vt non dubitem hoc etiam addere;* Et non ero grauis vobis. *Sunt hæc Apostoli verba ad Corinthios suos; quibus verbis affari me vos ipsos iuuat, amici, fratresque summoperè nobis chari.* Ecce tertio hoc venio ad vos. *Tertius hic noster conuentus habetur ab difficili nostra, longaque peregrinatione: tertium hoc concilium, conuentusque sacerdotalis. Sed de qua tandem re sermonem instituemus? Planè de vobis ipsis. Ac si argumenta,*

2. ad Corinthios, cap. 12. v. 14.

2 ad Corinthios, cap. 13 v. 1.

menta, quæ ſunt communia cum multis, libenter audienda ſunt, vtilitate propoſita; quantò magis attenti eſſe debemus ad ea, quæ ſunt propria ſalutis noſtræ? Ac de vobis quidem, et de ſacerdotali veſtra dignitate ſatis anno ſuperiore egimus. Cæterum, ſicuti vera maieſtas, et vera Regum decora minimè poſita ſunt in eo, ſi gemmis, auroque niteant, ſed potius in eo, ſi more Regum agant: ita ſacerdos, verus Rex, non debet magnitudinem ſuam, veluti in auro collocatam, et gemmis, metiri ſolummodò diuinorum bonorum magnitudine, de quibus prolixè egimus, ſed aßiduitate etiam laborum, atque operum, quæ munere ſuo continentur. Itaque de labore ſacerdotum, et tam eorum, qui præſunt animarum curæ, quiue ſacra peragunt, quàm etiam eorum, qui ſunt ad pſalmodiam intenti, ſermo à nobis habebitur. In labore, in labore, *ſacerdotes. Sed quale demum eſt illud, quod hæc verba comitatur? Tale nimirum, vt mihi confuſionem afferat, et omnibus afferre documentum poßit.* In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate: præter illa, quę extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. *Quanta maieſtas, quantuſque ſplendor verbis hiſce ineſt! Hæc ego verba ſatis vnquam declarare non poſſem: ſa-*

2. ad Corinthios, cap. 11. u. 27.

ſatiſque habebo primam earum vocem explicaſſe, vobiſque etiam ſatis eſſe debebit primam eam vocem intellexiſſe: idque vnum erit hodiernæ meæ orationis argumentum. Videor nunc ego videre Pauli animam monti editiſſimo ſimilem, cuius vertex ad nubium vſque regionem erigatur, Cælumque tranſcendat. Si rectè attendere velimus, non altiùs ille penetrauit, dum à conſuetudine corporis alienatus, cæleſtia contemplaretur, quàm cum verba iſta pronuntiaret, quæ nobis argumento ſunt, multas ipſum, graueſque moleſtias pertuliſſe. In hunc montem vos ego ſubducere conabor, o altaris miniſtri, vt ad radices ipſius progreſſi, aliquantulum conſcendatis. In labore, in labore, *hoc eſt in laboribus noſtri muneris, mortalis hæc vita inſumenda nobis eſt. Quid vnquam auguſtius fuit contemplatione Pauli laborum? Quos ego ſanè ſpectaculis Romanis, et contemplationi ſtellarum anteferrem; contemneremque libenter coactam in anguſtum omnium Naturæ operum maieſtatem, ſi eos Pauli labores, et opera conceſſum eſſet intueri, de quibus ſanè ita ſcriptum extat;* Et laboramus operantes manibus noſtris. 1. ad Corinthios, cap. 4. u. 12. *Et alibi;* Ad ea, quæ mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ. Act. cap. 20. u. 34. *Opus faciebant pretioſæ illæ manus, quæ aſſiduè miraculis patrandis occupatæ fuerant: laboreque ſuo victum ſibi quærebat*

ille, qui tota cælesti manna dignus erat, quæ quondam in Dei populum pluit. Arbitror ego, tunc Angelos intentos in ipsum fuisse reuerenter, et circumstantes eum, dedisse signa admirationis, ac veluti in parte laborum ei ministri adfuissent, incredibili gaudio exultasse. Atque ideo quid vnquam pretiosius fuit istis Pauli laboribus? Si tu mihi dono offeras ex terra venis, vel ex maris fundo pretiosissima gemmarum, paruifacerem ego hæc omnia, vellemque potiùs aliquid ex Pauli laboribus suspendere collo, margaritasque istas omnes, præ Apostolico hoc opere, planè repudiarem. Sed quorsum tandem de Pauli laboribus hæc nunc à nobis memorantur? Ad nostram ignominiam, sacerdotes. In munere sibi imposito versatur cum labore Paulus, tam duris, asperisque modis, et solicitè sibi victum quærit: nos verò, cum alimenta vitæ etiam è superuacuo habeamus, in officio nostro tepidi, languidique reperimur. Vidit diuina Prouidentia, à primæua virtute recessisse tantoperè homines, vt diuina tractantibus vitæ necessitates præparare voluerit, dixitque: homines isti soluti vitæ curis, ad obsequium nostrum, publicæque salutis custodiam omnes animi sui curas conuertent. Cur vos Ecclesiastica sacerdotia, fructusque, et decumas esse institutas putatis? Instituta sunt ad eum finem, qui in Ezechiæ Regis mandato

dato declaratus est; Præcepit etiam populo habitantium Ierusalem vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. *Commoda, et honores nostri huc spectant, sacerdotes. Sed nostra mala magis ex propinquo consideremus. Proprium humani generis est laborare, sed maximè proprium sacerdotis est; ordinemque istum magis decet labor, quàm omnes diuersæ conditionis mortales. Neque verò credendum est, huiusmodi laborem in sacris Litteris accipi semper pro molestia, et ærumna, de qua iustè quisquam expostulare possit; nam prærogatiua dignitatis est, honorificumque priuilegium habetur. In muneris, et beneficij loco dabatur olim sacerdotibus, qui in Sanctuario ministrabant, ferre onera suis humeris*. Filijs autem Caath non dedit plaustra & boues: quia in Sanctuario seruiunt, & onera proprijs portant humeris. *Quòd si decet sacerdotes omnes labor, quantò magis inquietæ noctes, et sine otio dies pastorem decent? Si tuendorum armentorum causa, solicitudines, et molestiæ multæ perferuntur, quantæ perferendæ erunt illis, quibus animarum cura commissa est? Quæ duæ artes, licèt multis in rebus inter se differant, habent tamen plurimam inter se similitudinem, ac propè germanam. Pastoricia vita, sicut Gregorius Nazianzenus ait, est fœcunda curarū; in-*

2.Paralip.cap.31. u. 4.

Num. cap. 7. u. 9.

Gregor Nazianz. orat. 1. Apolog.

ingemiſcitque amiſſo iuuenco arator, et paſtor agno, et rudi ſuo cantu dolorem ſolatur; taleſque aliquando in rupibus reperti ſunt, qui gemitibus, ac ſuſpirijs camporum immenſitates repleuere. Eam ſolicitudinem, eamque curam in ſpirituali paſtorum vita deſcripſiſſe viſus eſt Ezechiel, cùm diceret; Ego paſcam oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, & quod pingue & forte cuſtodiam. *Atque hoc loco animaduertendum eſt, pro verbis illis*, Pingue & forte cuſtodiam, *Hebraicè eſſe verba hæc*; Opprimentem alias diſperdã. *Quæ verba pertinent ad contumaces illos, quos ſacerdos aſperè, ac durè reprehendere debet, etiamſi magni viri, potenteſque eſſent. Hinc ſcilicet intelligi poterit, an paruifieri oporteat laborioſa ſacerdotum opera, magnoſque conatus. At tu negligis ea, potiuſque quidvis aliud agis. Propinqui, et amici, et ſuperuacaneæ curæ, et prauus habendi amor, occupant animum tuum, pretioſaſque horas excipiunt*. Age quod agis, *veterum ſapientiſſimi dixere; atque ita gloriam, et bonum omne conſequêris*. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna. *Ita Moyſi dixit Deus. Baculus ille paſtoralis erat, quo miracula pa-*

Ezechielis cap. 34.u.15.

Exodi cap. 4.u. 17.

patrauit, nempe instrumenta adhibendo illa, quæ ad officij sui munus pertinebant. Si tibi propositũ est rectè agendi mereri laudem, et gloriam, laborumque tuorum præmia habere, quæ expectas, tanti Pastoris vestigia sequenda tibi erunt. Hinc autem fit, vt, cum sacerdotes propriam suam artem omisere, suasque res, tanquam alienas, negligunt, et aliena pro suis curant, multarum animarum interitus, vrbiumque, et Prouinciarum ruina inde sequatur. O sacrificia præpropera, psalmosque interruptos, et nudata splendore suo, suisque ornamentis templa! Sed curnam ego sic nunc loquor? Aut quorsum hæc nostra oratio spectat? Spectat illuc, vt intelligatur, malorum horum omnium originem esse sacerdotem alienis intentum curis, negligentem ad custodiam suarum rerum. Animaduertatur quæso illud, quod Beatus Chrysostomus docere voluit, dum de tremendo sacrificio altaris ageret; dixit enim, Seraphinos cum sacerdote sacrificante circumstare aram, et vnà cum eo pro salute populi preces effundere. Idem verò alibi ait, Angelos ministros esse sacræ illius mensæ, pariterque Beatos hosce Angelos circundare sacrificij locum, et flexo capite stare, sicuti stare milites in conspectu Regis solent. Verùm, quinam vos tandem estis, reuerendi sacerdotes? Nonne successores eorum, qui religiosè psallendo, ex Augustini

S. Chrysost. Homil. de Euchar. in Encænijs.

S. Chrysost. Homil. 60. ad Pop. Antioch.

S. Crysost. lib. 6. de Sacerdot.

gustini pectore, oculisque vim lacrymarum elicuerunt? Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis suaue sonantis Ecclesiæ vocibus commotus acriter? *Atque vobis gloriosum magis est illud, quod alibi de sacro cantu scriptum est*; Non longe cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis. *Ex adspectu autem, et splendore templorum sæpe ego coniecturam facere consueui, cuiusmodi sacerdos ibi præsideat, atque habitet; sic etiam dicente Salomone*, Vbi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis: *ideoque cultus vniuscuiusque templi cultorem indicat. Pars hæc vna malorum vestrorum est; hic otij fructus, ò negligentissimi sacerdotum. Hæc summa inopia, et extrema calamitas illorum, qui omissa sui muneris cura, quiduis aliud curant, atque agunt. Quàm verò amœnum est cernere vos omnes labori intentos, propriumque pondus libentissimè sustinentes? Ad solatium, iucunditatemque vestram, vt ex hac longa attentione respiretis, narrabo id, quod aliquando mihi contigit, vt viderem. Atque exemplum poterit esse incitamento probis, confusioni, ac verecundiæ somnolentis, et inertibus. Vidi ego, auditores, et haud ita pridem, vidi sacerdotem, cuius nomen sponte prætereribo. Vidi, inquam, in solitudine habitantem sacerdotem, laborum, et meritorum tantummodo*

diui-

S. August. lib. 9. Confess. cap. 6.

S. August. lib. 9. Confess. cap. 7.

Prouerb. cap. 14. n. 4.

diuitem, paupere cultu vitam agentem vnà cum grege suo innocenter, ac sanctè. Locus erat, in quo habitabant ouiculæ, positus inter altissimos montes, atque in horrida illa, et incommoda parte ita inter se diuidebantur, vt longa, et periculosa via esset peragenda pastori, si pascere eas, et custodire vellet. Nunc ille cacumina montium scandebat: nunc se se demittebat in vallem, asperrimoque hiemis tempore, nudis pedibus transibat flumen, quo interiecto grex ille diuidebatur. Quoties accidit, vt obscuro noctis, necessitate aliqua extrema ingruente, cùm omnia gelu adstricta essent, intumuissetquè flumen, longo ambitu transire cogeretur angustum lubricumque ponticulum magni horroris etiam in diurna luce? Tunc vidisses dignum illum sacerdotem ornatum candidissima veste, quam ne tenebræ quidem ipsæ nocturnæ obscurarent, psallentem in ipso itinere, atque suspensum ipsius collo, gemmæ instar, sacrosancti vnguenti gestamen. Et credo ego, ad lubrica, et confragosa loca præsto fuisse ei Spiritus Angelicos, maximeque Custodem ipsius, et ægroti illius, cuius causa iter illud suscepisset. Postquam verò peruenerat ad tugurium, quæ iucunditas, quæ gratulatio ibi ad adspectum sacerdotis huius fiebat? Recreabatur ægrotus, et Deo gratias agebat; hospites cæteri charè eum, hylarequè excipiebant; totæque

vicinitati fructus ingens erat ſolatij ſimul, et exempli. Tu verò miſer, et infelix, qui cum ad ægrotos euocere, differs iter, atque cunctaris. Sanguis non ſolum fratris tui, ſed filij, requiretur de manu tua.

Ezechielis cap. 3. u. 18
Geneſis cap. 4. u. 10.

Iam ſi Paulus ille tam charus Cælo, ſuis manibus opus fecit: ſi Eccleſiaſtici fructus nobis dati ſunt in hoc ipſum: ſi labori natus eſt homo: ſi hic labor priuilegium, non ærumna ſacerdotis eſt, quo omiſſo, ſacrificia ſimul, et diuinæ laudes, honoſque templorum omittitur: ac ſi tam præclara eſt imago viua laborantis ſacerdotis, quomodo vos tandem totam in otio vitam agere voletis? Loquatur vnuſquiſque ſecum, dicatque, nouam vitam, et nouos mores inpoſterum ſe ſe polliceri. Archiepiſcopus veſter hoc poſcit: nec ego poſco, ſed generoſa, et nobilis anima illius, qui nunquam, niſi mortuus, quietem admiſit. Ille, inquam, verſari hìc inter nos videtur, et quaſi amator adhuc laborum, plaudere laboribus, ſimulque rigido adſpectu inhoneſtos aliquorum mores inſectari, et pigris, et inertibus minitari, ac ſuam vnicuique pœnam denuntiare.

SE-

SECVNDA DIE
Synodus eiuſdem.

DE SACERDOTVM nonnullorum ignorantia.

CONCIO XI.

SAPIENTIA foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam. *Neque ingreditur, vt proferat hæc verba, inter ſacratos templorum fines, ſed in propatulo, et aperto, per compita, et plateas exclamat*; Vſquequo paruuli diligitis infantiam? *Neque apud ſacerdotes, et ſeniores populi Sapientia, quæ omnia videt, hæc profert; creditur enim ex ipſorum ore alloqui reliquam multitudinem, et promiſcuum populum. Tunc peßimè res humanæ ſe ſe habent, cùm Sapientia ex venerando ſacerdotum ore non explicat magnam ſuã vocem, quæ genus humanum excitet, atque erudiat. Sed quorſum tandem ſpectat hæc oratio noſtra? Quidve tandem mihi propoſitum eſt? Væ ſacerdotibus illis, qui neque ſciunt quicquam, neque ſcire volunt. Væ populis etiam illis, qui peritum magiſtrum fruſtra ſibi optant, et quærunt.*

Prouerb. cap. 1. u. 20.

Ibid. u. 22.

Hoc erit hodierni nostri sermonis argumentum, ut de litterarum studijs, ignorantiæque calamitate concionemur. Semper ignominiosa res fuit ignorantia, sed in sacris hominibus veluti pestis, monstrumque habita est. Ideoque de Israelitarum populo sic Isaias exclamabat; Quis cæcus, nisi seruus meus? *Iam quid ille de ipso electæ gentis custode dixisset? Quis non erit cæcus, ubi sacerdotes ipsi cæcutiant, quos esse lucem, et lumina cæterorum oportebat? Tanti mali causam ego inde existere arbitror, quia munus ipsorum præcipuum sit videndi, atque cernendi, sicuti declarat Isaias Prophetarum exemplo, qui cum sacerdotibus officij similitudine coniunguntur;* Custos quid de nocte? Custos, quid de nocte? *Comparationem Propheta desumpsit ab ijs, qui nocturno tempore arua, siue ciuitates custodiunt, quos speculatores, siue custodes appellare possumus: hosce, tanquam in excelso loco positos, ut subiecta clarius contemplentur, compellat, interrogatque in hunc ferè modum. Quidnam vides, o fidelis custos, in mediæ noctis obscuritate? Videsne phalangem hostium? Vides armatorum agmina, equitesque armatos? Prophetarum hoc erat, et ipsius etiam Isaiæ officium, cuius ipse figuram in speculatoris persona sapienter, et commodè repræsentat. Tales esse oculos sacerdotis oportet, talemque aciem, ut non solum*

Isaiæ cap. 42. u. 19.

Isaiæ cap. 21. u. 11.

lum in media luce, sed in ipsa tenebrarum nocte adspiciat ea, quæ cæteri non vident. An verò leue tibi negotium hoc videtur, facilèque munus ad exequendum? Sed quid fiet, si speculator iste non tantum acie careat ea, quæ noctu videat, sed planè cæcus sit, omnique oculorum acie orbatus? Videte, obsecro, quam puram esse rem oporteat sacerdotis oculos, cum ita scriptum sit; Albuginem habens in oculo *ad altare ne accesserit.* Leuitici cap. 21. u.19. *Tanta nimirum cura est sacrarum Litterarum oraculis de spiritus nostri lumine, et acie, vt corporis etiam oculos, si vlla labe sint infecti, damnent, atque auersentur. Morbus autem hic oculorum in Ecclesiastici ordinis hominibus difficillimæ curationis est, quippecum pars ea laboret, cuius morbi vim nemo satis vnquã videns, adspernatur remedia, et fugit, et vitat. Atqui non solum nostræ, sed etiam alienæ salutis causa, enitendum nobis maximè est, vt morbum hunc depellamus; ac si antea indocti fuimus, disciplinis erudiamur: quod ita esse, desumptis ex Theologia rationibus, demonstrare mihi propositum est. Omnibus hæc à natura ipsa dicta lex est, vt quicunque munere aliquo sibi iniuncto indignum se se videt, conitatur, vt dignus, aptusque muneri suo fiat. Quòd sacerdos ordine suo propter ignorantiam eam, de qua nunc loquimur, minus dignus sit,*

duobus

duobus accidere modis potest; vel quia talis fuerat, cùm eam dignitatem assequeretur; vel quia, postquam adeptus est eam, ignorantia superuenit. Atque posteriore hoc modo potest oblitus esse rerum earum, quarum notitia praditus fuit, cùm examinaretur. Cui hoc acciderit, debet is saltem agere, et conari, vt maneat in eo scientiæ gradu, in quo antea fuerat repertus; idque necessariò faciendum est, nisi lethalibus obligari culpis, et diuinas mereri iras velit. Nam alioqui crescentibus annis, et consenescente sacerdote in diuini officij munere, minor fieret ea sciendi necessitas, idve officium, quod ipsi in priore ætate impositum erat: et experientia crescente vnà cum opinione hominum, scientia minueretur, minusque culpæ haberet ignorantia senum, quàm indocta talium iuuentus. Sed validiore etiam argumento vtemur. Testimonia illa, quæ examinatores apud nos præbent de virtute, ac doctrina eorum, quos interrogauere, nihil aliud sunt, quàm moralis quædam, probabilisque fides, qua examinatus ille dignus iudicatur, etiamsi de ea re nobis certissimè non constet. Atque hinc fit, vt in eo iudiciorum genere dicere possimus, conijci, et sperari, aliquem esse idoneum, non autem sciri, et affirmari. Quotiescunque igitur in aliqua tui muneris parte laberis, et peccas, culpa tua est, non autem eorum, qui

tibi

tibi testimonium præbuere. Itaque oportet sacerdotes prouidere, ac prospicere hæc ignorantiæ vitia, et labes, easque tollere studio, et diligentia, quantum in ipsis erit. Diuinæ tantummodo Sapientiæ est perfectè discernere ac dijudicare, vtrũ digni, vel indigni munere eo simus; poteštque sola infinita ipsius potestas nos ita probare, vt nullus deinde nobis peccandi, errandive locus relinquatur. Hinc apparet, cognitiones eas, et experimenta, quæ communi ecclesiasticarum legum consuetudine habentur, non satisfacere necessitati. Namque fieri potest, vt qui primò idonei iudicati sunt, tempore procedente minùs digni reperiantur: quod fit ipsorum culpa, qui minuentes quotidie doctrinam, et virtutem, nouis quotidie erroribus implicantur, seque inhabiles esse ostendunt. Neque culpa tantummodo ea sacerdotum grauissima est, sed fraus etiam, et fallacia: nam si supremi Pastores animarum scire possent, simul atque beneficium astutè fueris adeptus simulatione virtutis, et pietatis, omne postea studium religionis esse relicturum, non tibi diuina munera, honoresque, et ecclesiasticam auctoritatem credidissent. Neque verò mirum est, quòd tam arctæ leges, tamque valida vincula vos omnes adstringant; quandoquidem nunquam tot, tantæque calamitates, et tanta mala vniuersitatem hanc inuaserunt, quanta in

genus

genus humanum damna sacerdotum ignorantiæ importauit. Planè cæco Samsoni ego æquiparauerim ignari sacerdotis cæcitatem, qui cùm alioqui sanctißimus esset, apprehensis inclytæ domus columnis, se, et alios ruina oppreßit: ita plane tenens ipse diuina sacramenta, ecclesiasticamque potestatem ordinis, et iurisdictionis, quæ duæ columnæ sunt ecclesiæ, te ipsum, et alios perdis, Deique domum euertere conaris. Non autem credo ego, dicturum esse te, quòd otio careas ad litterarum studia necessario, quòdque pastoralis cura te impeditum teneat. An verò non est hoc curam agere animarum, et ignorantiæ morbum ab illis depellere? Non est hoc tradere Dei legem, dum in litterarum studio verfaris? Magno sanè supplicio plectendi essent sacerdotes canonici, qui, cùm otij plurimum habeant, meliores horas ad studia litterarum conferre possent. Neque ego nunc allaturus sum clarissima illa exempla, quæ vos accendant, fratres, memorando Basilij, vel Ambrosij, vel Augustini studia, qui tantum scripsere, quasi nihil egissent, tantum egere, quasi nihil scripsissent. Non etiam ego sancti nostri Pastoris Caroli nocturna, diurnaque studia referam, quamuis grauem huius Ecclesiæ molem suis humeris sustineret, turbineque curarũ ageretur. Non ego exemplis huiusmodi vtar, neque ratione ista agam.

Iudicum cap. 16. u. 30.

Sed

Sed quomodo fieri poterit, vt sacerdos aliquis vnam saltem horam legendo non consumat tunc, cùm longißima dierum spatia Sol peragit, veluti hospes, et incola noster factus, cùmque noctes durant illæ, quæ desiderium omne quietis superant, somnumque ipsum fatigant, et vincunt? Dies ipsa, quæ tantam vim habet, vt durißima saxa molliat, scopulosque maritimos frangat, nihil poterit continuato suo cursu ad mentis tuæ duritiem inflectendam atque commouendam? Anni præterea tempora, quæ cibum animantibus ministrant, aluntque terram, et pinos, et quercus, et fagos in tantam proceritatem eliciunt, nihil afferre poterunt, quò crescat in animo tuo virtus, et merita amplificentur? Heù sacerdotes, timeo, ne nostra nimiùm humilis, et abiecta oratio videri possit. Ipsæ quoque bestiæ, et eæ, quæ cæteras immanitate superant, discunt si quæ docentur, eamque disciplinam illis longa dies affert; quinimmo senectus artium omnium magistra est. Tu verò quantò magis progrediere, tantò indoctior esse voles? Morbus iste tuus longè obstinatior erit, quàm morbi alij, quos dies vincit, aut imminuit, licèt grauißimi sint? Infelices isti sacerdotes videntur communem humanarum rerum ordinem euertere velle, cùm certißima res sit, tempus patrem esse veritatis, inimicumque mendacij, et rerum ficta-

rum; eiusque luce occultas telluris diuitias, miracula Cæli, et omnes hominum actiones, quasi alterius luce Solis, aperiri. At dura sacerdotum corda tenebris æternis inuoluta manebunt? Non tibi igitur tempus deest, sed potius ipse tempori, quod inutiliter consumis: atque thesaurum effundis eum, quem posteà nunquam recuperare poteris. Conemur, venerandi sacerdotes, repellere à nobis ignorantiam, quàm longißimè assequi possimus; nihil enim tam proprium est hominis, quàm scientiarum cognitio, neque res vlla magis alterum ab altero distinguit, neque vlla re magis homines vlli alijs antecellunt. Deus Pater luminum, et æterna Sapientia munus hoc nobis largè concedat.

TER-

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

DE MANSVETVDINE in puniendis hominum culpis.

CONCIO XII.

LONGA gloriosus Apostolus oratione monuerat Corinthios, vt rectè, laudabiliterque agere vellent, cùm maius incitamentum adhibendo, ita eos est allocutus; Ecce tertio hoc venio ad vos: *moxque ita subiecit, addiditque*; Quoniam si venero iterum, non parcam. *Magnus Chrysostomus ille Græcæ Christianæ eloquentiæ pater, de admiranda Pauli Apostoli magnitudine, et gloria ita scriptum reliquit. Nihil est in rebus humanis, quod cælestem hunc spiritum æquare possit, neque fuit, neque verò erit vnquam. Atque ego nunc, verbis inhærens ijsdem magni Apostoli, ita vos alloquor. Quis vnquam talia viscera charitatis vidit? Estne repertus vnquam inter mortales qui tam tenere loqueretur? Quanta hæc amoris flamma, quæ ex ipsius pectore in sublime fertur? Non tu camini huius ardorem* in

2. ad Corinthios, cap. 13. n. 1. & 2.

S. Chrysost. Ser. 4. in cap. 2. Epist. ad Philip.

sentis, qui charitate accendere possit animum tuũ, etiam si longissimè inde abesses? Similis est matri, quæ millies minatur filio, et semel tantum in eum animaduertit. Senserat Apostolus, acri obiurgatione dignos esse Corinthios ob ipsorum culpas, quarum grauissima hæc erat, quod Apostolum ipsum, non sicuti debebant, reuerebantur, atque in honore habebant. Itaque, charitate permotus, arguit eos, monet, oratque, & si tertio venerit, emendatos denique mores ipsorum reperiat: minaturque simul peccatoribus, se nunquam postea daturum esse veniam, nisi emendati erunt. Videtisne, sapientes viri, quantopere fugiat Apostolus, vitetque puniendi necessitatem? Videtis paternos, maternosque mores? Immo illos ipsos, qui propria esse Principum deberent? Quapropter Rectoribus populi, quem Deus ipse erudierat, mandatum fuit, ne spicas omnes meterent, neve ad superficiem vsque terræ raderent eas, neve racemum omnem colligerent: quod non solum ad auaritiæ detestationem dictum fuit, sed etiam ad iudicandum quàm leuiter; et mansuetè in puniendis hominum culpis agere nos oporteat. Ac sanè naturalis, et humana ratio mihi simul, et cuiuis alio persuadere id ipsum possent. Nam sicut mors ægroti medici famam nonnihil obscurat: ita pœna corporis, quà subiecti miserè afficiuntur, minuit imperan-

Leuit.cap.19.ii.9.

tis

tis auctoritatem. Argumento est enim, quod suis artibus, hoc est persuadendo, et alliciendo, et præmia dando, et comminando, subiectos sibi homines sanare non potuerit. Itaque, tentandæ prius artes omnes sunt, antequam ad supplicium, pœnasque descendatur. Atque artificiosas istas vias dandæ salutis ostendit fortasse, indicauitque Apostolus, cum ita scriberet; Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. *Num verò hæc officia propria sint eorum, qui præsunt alijs, quive oratione regendæ multitudinis partes sibi assumpsere, declarauit Isaias, cùm de Hebraica lege vaticinaretur; dixit enim, fore intra breue tempus, vt Ierosolyma orbata iaceret populi principibus, sapientibusque viris, et ad dicendum mirificè paratis, denuntiando ita orbitatem eorum, qui summa, et diuina verborum arte flectere possent auditorum animos, et ducere quamcunque in partem vellent. Inde factum est, vt apud Græcos, quorum tanta sapientia fuit, sicuti Clemens Alexandrinus animaduertit, admonitiones sumerent nomen ex eo, tanquam mentem nostram ex potestate deiectam restituerent, ac sanarent. Sed erimusne fortasse nos pastores animarum, et populi curatores digni minore laude, minusque industriæ adhibebimus in nostra arte, quàm medici corporum tantummodo curatores? Vides medicū sa-*

2. ad Timoth. cap. 4. n. 2.

Isaiæ cap. 3. n. 2.

Clemēs Alexand. lib. 1. Pedagog. cap. 10.

ſapientiſſimè, et prudentiſſimè indagantem cauſas omnes, et effecta morbi, aſſidentem aſſiduè ægroto, vigilantem vnà cum eo, atque partem dolorũ, et timorum ægrotantis aſſumentem ſibi. Si fortè ſuperauit morbum, omnes arcanas naturæ vires adhibendo, exultare videtur, ac triumphare. Sin autem morbus ipſe vicit ægrotum, damnat fallacias artis ſuæ, laboreſque irritos, et ſpes ſuas vanas deteſtatur, ac deplorat. Sic nunc affectum eſſe animum meum erga vos oportet, fratres. Supplicia, et pœnas deuitare ego vellem, remediјſque verborum vti, perſuadendoque, et orando, et laudando, et minando, et vituperando id ipſum efficere, quod ſupplicijs, et pœnis longè acerbiore medicina peragitur. Huc ſpectat mea omnis oratio: huc mea ſtudia, induſtriaque omnis tendit. Atque in hoc ipſo aliqua ex parte Dei mores nos quoque imitabimur, cuius admirabilis manſuetudo declarata eſt verbis illis; Indignatio non eſt mihi: quis dabit me ſpinam & veprem in prælio: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter? *Quaſi verò gladius ille diuinus hebes ſit ad ictum inferendum, debileque brachium, et nunquam tela ſua iræ contorqueat Deus. Totum id dicitur, vt intelligamus quàm prompta ſit in nos diuina clementia, et manſuetudo, et quàm ſemper leniſſimè nobiſcum agat. Clemens Alexandrinus*

Eſai cap. 27. v. 4.

drinus aiebat, Deum, postquam humanam carnem assumpsisset, ob hanc quoque causam in sacris Litteris appellatum esse Verbum, propterea quod ad seruandum hominum genus medicamenta verborum instituerit, atque inuexerit in Mundum. Clemēs Alexand. lib.1.Pedag.cap.12.
Aitque Clemens idem, hortationes duces esse religionis, et pietatis, rectumque tramitem eas ostendere, et sustentare ædificium omne Fidei, quod ei sit innixum. Admirabilis est sanè medicina verborum, et nunquam aliàs spectata inter mortales; quia nimirum sermo diuinus acutior est ad penetrandum quolibet gladio; isque gladius sanat animum nostrum, sanando vulnerat. Talia sunt officia concionantum, ad quos propriè spectant illa verba; Et posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me. *Quo loco Dei spiritus æquiparatur pharetræ, quæ tela nostrorum verborum continere debeat, atque occultare. Tempus iam tandem est, chari, venerandique sacerdotes, admittendi hanc verborum medicinam in animum vestrum, sin minùs, vt orationi meæ pareatis, saltem ob eam causam, vt euitetis eorum vituperationem, qui dicere possent, apta vobis esse ea tantùm medicamenta, quæ supplicia sunt etiam prauis, improbisque hominibus apta, ma-*

Ibidem cap.1.

Epist. ad Hebr. cap.4. u.12.

Isaię cap.49. u.2.

gisque mutas pecudes, quàm ratione præditos homines decent. Ite cum bona pace.

PRI-

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.VI.

DE BENIGNA animarum cura, cùm corpora ægrotant.

CONCIO XIII.

CREDO ego, fratres chariſsimi, ita notam eſſe vobis animi mei conditionem, vt exiſtimare facilè poſsitis, iucundius fore mihi, ſi vos commendare, gratularique vobis de magnis huius Eccleſiæ progreſsibus poſſem, quàm ſi obiurgatione, atque caſtigatione verborum vtendo, ſeuerus, ac rigidus veſtræ omnium vitæ cenſor viderer. Ac ſicuti bona valetudo, Cæli tranquillitas, et frugum copia gratiſsima omnibus ſunt: ita optimus Reipublicæ ſtatus, ſiue ſacer, ſiue profanus ille ſit, gratus eſſe ſolet ſuo Principi, et adeo gratus, vt

praui quoque et insani, multique Tyranni hanc sibi voluptatem expetiuerint. Caterùm, adhibenda sunt castigationes tunc, cùm eas res ipsa requirit, et deserenda ea, qua voluptatem ferunt; ac vtilia tantùm, et salutaria, licet ingrata sint, amplecti oportet. Ac tantò magis faciendum est, quia neque ægrotum medicus vllus dissimulando morbum vnquam sanauit; neque terram laudando quisquam agricola, fœcundiorem fecit, sed purgando eam, et arando. Nos verò vndenam incipiemus frangere duriores partes huius agri, malignasque herbas extirpare? Incipiemus à salutiferis documentis, qua licet communia omnibus videantur, propriè tamen ad custodes, pastoresque populorum pertinent; à benigna nimirum cura tunc agenda erga salutem animarum, cùm afflicta morbis corpora iacent, atque periclitantur. Vtilissimum sanè argumentum, atque simul spectans ad communem omnium salutem et vtilitatem, ad quam spectant etiam instituta omnia et leges; quandoquidem omnibus ille veniet dies, cùm solicitudine pastorali, benignaque sacerdotum cura indigebunt. Iam primum omnium igitur dico ego, considerandum esse illud, quod in Deuteronomio praceptum fuit in hanc fermè sententiam. (Deuter. cap. 22. n. 4.) *Si fortè in itinere pecudem aliquam proximi tui stratam humi repereris, ne fueris eam adspernatus,*

tus,

tus, ſed connitere, vt illud vile animal erigas, atque ſubleues. Minimè credibile eſt, id fuiſſe ita conſtitutum vtilitatis eius cauſa, cuius beſtia illa eſſet, ſed potius, vt ex minutis, obſcuriſque rebus intelligeremus quantopere nobis elaborandum eſſet in omni charitatis actione; vtque tali commotus exemplo animus noſter, in hominum ipſorum curatione ita ratiocinaretur. Cùm tanta mutis pecudibus cura debeatur, quantam hominum ſaluti impendi curam oportebit? Præterea, non peregrini iſti, alieniue homines, ſed et noti mihi, et meæ fidei commiſſi ſunt. In laborioſo vitæ huius itinere morbum corporis grauem contraxere, et anima fortaſſe grauiùs etiam periclitatur. Hiſce non feretis opem, potiuſque deſtituetis? Quomodo nunc vos memores officij veſtri præbetis? Quomodo veſtram vos callere artem declaratis? Quæ eſt ad paſtorale munus attentio? Quomodo paſtores vos inpoſterum appellabitis? Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis. *Non ſatis eſt gregem curare, dum ſanus, integerque eſt; debetis etiam ægrum curare, ſi quidem verè paſtores eſtis, et vera vobis gregis cura. Quòd ſi incomparabilis penè ſolicitudo exigitur omnibus fermè momentis in armentorum cuſtodia; nonne plus artis, et vi-*

Ezechielis cap. 34.n.4.

O 2 *gilan-*

gilantiæ custodia animarum requiret, in qua extremum ipsarum, tuumque discrimen agitur? Nonne à vobis de animarum valetudine ac morbo seuerè ratio exigetur, immo vobis moriendum erit, si vestra culpa ipsæ perierint? In Daniele tale quiddam narratur. Agebant in Regia nobiles pueri, quos flammæ reueritæ non attigerunt, cùmque contaminari vetito cibatu nollent, conuiuia Regis auersabantur. Quod Princeps Eunuchorum animaduertens, metuensque sibi, dixit; Timeo ego Dominum meum Regem, qui constituit vobis cibum, & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum Regi. *Non ille dixit; si vos in morbum incideritis, ego verberibus afficiar: non dixit; si moriemini, mors vestra mihi perniciem feret, sed* Si viderit vultus vestros macilentiores. *Qui certè pallor prohiberi non poterat, quin Angelica illa ora occuparet; nam sanitas, et perfectus color non hominum artis, sed Naturæ sunt munera, quæ sæpè inuitos etiam nos infestat in ea re, siue suis bonis cumulat. Cur igitur pœna tam atrox statuta fuit, tantoque rigore pœna omnis illico confertur in custodem? Tu verò tradis obliuioni munus tuum, quo ægrotum non solum in anima, sed in corporis etiam fortasse necessitatibus subleuare*

Danielis cap. 1. u. 10.

debe-

debebas. Unde autem fit hoc, ut, postquam anima excessit è corpore, cadauer ipsum tanta cura circumstes? Tunc accurris, et aduolas, et iurgia seris, quodque dicere cogimur, vulturis instar, mortua membra consectaris. Curnam tanta mutatio facta est morum, et sensuum, et voluntatis? De qua quidem mutatione, crastino sermone copiosius, ut spero, dicetur. Grauis hæc culpa circa ægrotos non sine magno ægrotantium detrimento à pastoribus animarum pluribus modis committitur, multiplexque esse solet; nam primùm omnium tardè accedunt, tunc nimirum, cum sensus imminuti sunt, hebesque iam animus ad accipienda præcepta, et documenta salutis. Tunc, si corporis causa accessisti, præproperus aduentus tuus fuit: si animæ causa, nimium serò accessisti. Dum ita iacet ægrotus, variè, ac temerè vaticinantur sacerdotes, et futura prædicunt in hunc modum.. Expectabit, cunctabitur, superestque adhuc aliquid vigoris, calet pectus: atque interea infidus amicus deseris periclitantem, et dum ille circumuentus incursu Dæmonum iacet, ipse non ades. Hoc morientium discrimen simile est obsessarum vrbium discrimini, in qua, nisi dato signo, statim ad arma discurratur, amissa sunt omnia, ab leuique momento victoria, siue clades pendet. Iam quid de sacerdotum illorum crudelitate dicemus, qui

moniti,

moniti, et etiam interdum rogati recusant sæpius ad ægrotum deferre augustissimum Eucharistiæ sacramentum, et grauantur? Vbi mater filium graui morbo oppressum habet, pallida, tremensque discurrit huc illuc, et absque vllo certo consilio mille remedia molitur vno tempore. Nunc tristia, nunc fausta de morbi exitu auguratur: tardaque ministeria, tardi nuntij sunt ad eius vota, sæpeque oblita sexus, siue ætatis, ad cubile filij volando accedit. O magnum Pauli Apostoli dictum;

Epist. ad Galat. cap. 4. u. 19.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Quorum verborum hic sensus est. Semper ego vestra causa solicitus sum, veluti parturiens mater; nam si morbo laboratis, estisque periculo alio circumuenti, grauissimè affligor, donec absoluto editoque partu, perducam vos ad Christianam perfectionem prius, deinde ad Cælestem quietem. Iam tibi considerandum est hoc loco, num tibi scintilla sit aliqua ignis huiusmodi. Facilè poteris intelligere, si voles, non esse te matrem, nec prolem hanc tuam; quandoquidem eius causa lacrymam nullam effundis, neque times aliquid, neque eam amas. Secunda classis errantium in hoc genere sacerdotum, eorum est, qui tempestiuè quidem ad ægrotum accedunt, sed vbi accessere, minimè tempestiua, et apta tempori loquuntur. Ineptum sanè est adulari morienti-*

entibus, eosque alloqui blanda, et consanguinea, mercenariave lingua. Barbarus iste Gentium mos fuit erga Reges suos, quos, adulantium more, sic alloquebantur; Rex in sempiternum viue. Danielis cap. 3. u. 4. *Agit ille animam, tuque auctor es, vt spes adhuc humanas agat? Praterea, clarè, et apertè alloquendi sunt morientes, itaut nullis verborum inuolucris veritas tegatur, atque obscuretur; credunt enim id tantùm, quod tunc habere vellent. Non parùm ego sum admiratus illa Isaia verba ad Ezechiam ægrotantem, cùm ingressus ad eum Propheta, ita locutus est. Dispone res tuas, ò Ezechias, quia morieris tu, et non viues.* Isaiæ cap 38. u. 1. *Quàm apertè, quàm liberè dictum hoc fuit? Tu ipse moriere, non autem alius. Planè ita se res habet. Qui semel liquit vitam, non vltra inter homines viuet. Cur autem vnum eum alloquendo, sic dixit; Tu morieris? Nec pauciora verba esse debebant, nec minori pondere, nec minùs generoso animo pronuntiata, vt admirabile illud consequeretur;* Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum. Isaiæ cap. 38. u. 2. *Illud praterea suadeo vobis, Christiani populi rectores, ne tunc corporis curandi munus vsurpetis, cùm ad curandam animam acciti estis. Peccant enim qui postquam ad ægrotum accessere, siue propinqui, siue amici sint, ita eum medicamentis occupatum tenent,*

nent, vt misero nulla hora curando animo relinquatur. Mores isti non sacrorum hominum sunt, sed vilium seruorum; olimque muliercula desperato Sauli talem operam nauauit, et conata est panis cibatu reficere vires eius, qui ex Regni fastigio exciderat, quique à Deo destitutus iacebat. Non vestrum hoc officium est, sacerdotes: animo, non corpori sunt alimenta prębenda. Sed vereor, ne nimium misericors aliquis tacitè respondeat, esse ęgroto sępe mortis causam ipsam extremę necessitatis denuntiationem, multosque citiùs periisse, quia sibi esse moriendum audiuere. Quid si ostendam ego tibi, non truncari sic vitę filum, sed produci potiùs, et conualescere ęgrotum? Possum vnico sacrarum Litterarum testimonio, ac loco conuincere id ipsum, atque demonstrare. Ezechias idem cùm grauissimè ęgrotaret, essetque ei subitò moriendum, prędicta per Prophetam morte, conualescit. Iam igitur, quę ars, quodve remedium ęgroto Regi salutem affert? Aculeata sanè verba pronuntiata diuini Vatis ore salutem attulerunt; verbis enim illis ad pœnitentiam excitatus Rex, morbo suo remedium inuenit. Ita credi debet fieri diuino consilio, vt nonnulli ad vitę finem appropinquent, quia Deus velit eos redire in viam, et superioris vitę flagitia detestari. Sed quid de eo sacerdote dicemus, qui tempestiuus

1. Regũ, cap. 28. u. 21.

Isaię cap. 38. u. 5.

uus quidem ad ægrotum accesſit, tempeſtiuequè etiam, et aptè locutus eſt, ſed non ſuſtinuit manere ad extremum vſque diſcrimen? Vbi tunc amoris, et beneuolentiæ ſigna? Desereresne, ſi ſanguine tibi, ac genere coniunctus eſſet? Neque verò dixeris, poſſe te abire, proptereaquòd laici homines aſſideant ægroto, qui ſatis idoneam agere curam poßint. Memini ego dicere prudentem, doctumque virum, eſſe nonnemini diuinitus demonſtratum, quòd laicorum ſocietas, et præſentia nihil prodeſſet morientibus ad euitandos, ſiue minuendos Dæmonum terrores; nihil enim in vaſta ſolitudine prodeßet habenti multa formicarum millia. Iam ille diuerſæ quodammodo conditionis factus eſt; iamque ex numero mortalium propè exceßit; precibus tantùm, et alia ſpirituali curatione ille eget; eoque remedio, atque ſubſidio tu fraudas infelicem? Requiro ego antiquam pietatem, ſacerdotes, non ſolùm in procuranda animarum ſalute, dum corpora extinguuntur, verùm etiam in horum ſepultura, poſtquam anima exceßit. Sepeliebantur antiquitus cum exquiſita cæremonia; extatque ita ſcriptum, Diaconum Iſchyrionem, cùm in Concilio Chalcedonenſi Dioſchorũ accuſaret, inprimis caput hoc accuſationis expoſuiſſe, quòd adolere thura cadaueribus neglexiſſet. At tu precationes, et hymnos, et Angelorum Concil. Calced. Act. 3.

P Dei-

Deique inuocationes omittis salutis eorum causa faciendas, qui extremum vitæ terminum attigere. Vbi nunc vestigia reperientur illius antiquæ pietatis, qua maiores nostri corpora defunctorum in [A] septuagesimum vsque diem curabant, [B] honorabantque vnguentis, et odoribus, agebantque excubias, sicuti possem ego multis exemplis [C] ostendere, atque testificari. At tu vel serò accedis; vel si tempestiuè accessisti, non præstas officia, quæ debebas, animamque illam minimè comples odore virtutum, negasque moram, non septuaginta dierum dixerim, non decem, non vnius, sed breuissimi spatij, quod natura præscripsit ad colligendas vitæ reliquias, dum ex hoc corporis carcere anima discedit. Cogita, ægrotum illum non pecudem esse vnam, sed hominem, eumque curæ tuæ commendatum. Si pastor es, gregem cura: si deseris curam; Quod infirmum fuit non consolidasti, *sicuti Deus iubebat. Spiritualis eius mors, si tua culpa acciderit, animæ tuæ perniciem affert. Non itaque cunctatus fueris ad eos ire, qui te expectant, loquendoque, et agendo, sicuti fidelem amicum decet, in extremo discrimine tuere animam illam, vt te Deus in extrema tua hora benignè defendat, ac tueatur.*

[A] Genesis cap. 50. u. 1. Act. cap. 8. u. 2. In Epist. Luciani M. S. de Reuelat. B. Steph. Ambrosius de obitu Theod.

[B] Tertull. in Apolog. cap. 42. Gregor. Nazian. ad Sophr. Epist. 18. Gregor. Nissen. in fun. Mel.

[C] Deuter. cap. 34. u. 8. Origenes lib. 3. in Iob. Hieron. Epist. 27. de obitu Paulæ. Ambros. orat. de excessu fratris sui Satyri.

SE-

SECVNDA DIE
Synodus eiusdem.

DE AVIDITATE
sacerdotum nonnullorum in mortuis humandis.

CONCIO XIV.

PRÆCEPIT *olim Deus in sacris Litteris, nec vno loco, charissimi fratres, ne sacerdos mortuorum causa contaminaretur, neque ad spectanda cadauera ingrederetur illuc, vbi iacerent. Non patris, non matris causa permissum fuit illuc ingredi. Iam quorsum tanta hæc diligentia, et solicitudo, tamque seueræ leges spectant? Nonne mortui viua sunt miseriarum nostrarum effigies? Nonne pius est omnis in cadauera honos? Credo ego, causam hanc esse, propterea quod sacerdos diuina quædam, et purissima res sit, et à contagione terræ separata; ideoque non debeat vilibus rebus immisceri, neque inquinari tam abiecta re, quàm esse corpus mortuum scimus. Sed quid tandem dixissent antiqui illi sacerdotes intenti sacris cæremonijs, et ritibus, si quis, vati-* Leuit. cap. 21. u. 1. & 11. Num. cap. 6. u. 7. Ezech. cap 44. u. 25.

cinando futura, sic eos allocutus esset. Tempus erit, venerandi patres, cùm sacerdotes non solùm mortuorum tecta subibunt nouæ gratiæ ritu, et salutis animarum causa, et erga Christianum cadauer pietate, sed contumelijs eos afficient, spoliabuntque, et expilabunt. Id cadit in nonnullos vestrum, sacerdotes, qui sepulturam corporum fœdissimè tractatis. Paucos ego, non multos alloquor; ideoque tanto maior ignominia paucorum erit. Ac sanè fœdissima res est, et indigna sacerdotum ordine, ad tantas sese demittere sordes. Corpusne mortuum igitur afficere ignominia, et contumelijs onerare honorifica res erit? De iure gentium est, honestè tractare cadauera. Quærantur horridissimi terrarum tractus, et æterno pressa gelu niuosa montium cacumina, profundæque valles, domicilia miseriarum humanarum, nusquam hæc deleta, aut contempta lex inuenietur, etiam vbi duriora pectora mortalium degunt. Necantur alicubi parentes, eorumque commodis inuidetur, sed non ita inhumanè tamen, vt postquam occubuerunt, suus illis honos denegetur. Quamobrem sanctior hæc lex, et magis altè defixa in animis hominum est, quàm illa, quæ viuos adhuc parentes in honore haberi iubet. Sed ne fortasse putetis, oblitum esse me sermonis externi, dic quæso sacerdos, cur tam negligenter erga

spi-

spirans adhuc cadauer egisti, et postquam spirare desijt, tam sedulò id curas? Si curam eam animæ tribuis, iam ea in partes alias auolauit; sin corpori, cur mortuo potius, quàm viuo? An fortasse plus amabilitatis cadauera ista habent? Pro fœdam auaritiam! Cur non semper hoc monstrum à pectore humano in exilium extruditur, atque ablegatur? Atqui, quodnam expectatis argumentum, quam auctoritatem, quæ vos conuincat, atque confundat? Non Augustini, Ambrosijve auctoritatibus vtar, sed potius veteris Philosophi testimonio; quam sanè licentiam, neque adhiberem, ab alijsque adhibitam reprehenderem, nisi summa moderatione condiretur, quemadmodum Nazianzenus, et Iustinus Martyr, et Clemens Alexandrinus, et Cyprianus, et Athenagoras sanctioris doctrinæ magistri, eam temperauere. Sententia est apud Aristotelem in secundo Rhetoricorum libro, dum magnus magister, loquens de verecundia, et inuerecundia, sic ait; Lucra ex paruis assequi, aut à turpibus, vel ab impotentibus, veluti à pauperibus, vel defunctis; vnde prouerbium quoque illud est, vel mortuo auferre. *At miser ipse dedecora hæc omnia, et probra consectaris vltro, atque amplecteris, dùm vile lucrum studiosè nimium, ac præter Ecclesiastica præscripta appetis, exigisque à pupillo, et vidua,* Aristoteles lib. 2. Rhet. cap 6.

dua, cæterisque id, quod nec debetur tibi, nec ipsi persoluere possunt; radis denique mortuum cum tanto strepitu, et clamore, quantus exauditur. Sed ab auctoritate profana transeundum est ad exemplum aliquod desumptum è sacris Litteris, quò magis moueatur animus vester. Moueat animum vestrum, sacerdotes, pia cura, studiumque Tobiæ illius inclyti, cuius magna charitas, et solicitudo tradita est in sacris Litteris. Arbitror, meminisse plerosque vestrum, quemadmodum Hebraicæ gentis nobilissimus, atque sapientissimus ille vir, cùm in miserabili Ierosolymæ excidio, unà cum cætera multitudine in ciuitatem Niniuem adductus, videret insepulta passim corpora per vias, sublata in humeros cadauera sepultum iret, nolletque degustare cibum ullum, antequam munere illo suo defunctus esset. Collocabat ea domi suæ, et nocturnis deinde horis diligentissimè sepeliebat, contemptor etiam periculorum, quæ talia facientibus proposita erant. Sed ea, quæ dicturi sumus, attentis animis excipite. Non mihi placet, adire te huiusmodi pericula, neque hanc tibi legem imponam, ut è lectulo descendas, aut surgas de mensa; nolo multum laboris te subire, atque succollare cadaueribus, eaque conspergere tuis lacrymis: tantùm à te peto, et posco, ne deprædari, neve expilare mortuos velis. Cur autem cura

Tobiæ cap. 2. u. 9.

mor-

mortuorum sit præcipuè commissa sacerdotibus, Ecclesiasticisque personis, arbitror illam quoque afferri posse causam, quò magis proposito assiduè ante oculos miserabili calamitatum humanarum spectaculo, res ipsas humanas adspernentur. Apparet igitur, vtilitatis ipsorum causa id esse institutum, vt talibus commoti documentis, quàm longissimè à rebus terrenis alienarentur. Sed quis credat, in ipso hoc opere nonnullos humanis cupiditatibus penitus esse addictos? Huius nostræ orationis quam tandem illi partem refellent, atque inficiabuntur? Nisi fortasse dicant, minima hac esse lucra, quæ nunc tantoperè insectamur. Apud imperitos homines fortasse valeret ista defensio, non autem in erudito hoc, et venerabili conuentu. Istud ipsum, quod affertur ad defensionem, auget culpam, eamque longè intolerabiliorem facit. Memini in scholis dici hoc, et tradi, leue furtum in maiori grauiorique esse culpa, quàm rapinas ingentes, atque vbi minora sunt ad peccandum inuitamenta, ibi culpam esse maiorem. Atque ideo videmus, prauè nimiùm affectos homines, ob leues, et minimas quoque causas ad peccandum induci. Penetrat ad sensus quodammodo meos fœtor ipse cadauerum, dum super pheretro de maiore, vel minore pretio litem seris. Extincta funalia fumant hic ante oculos meos, et

viles

viles nummuli auaritiæ tuæ notis impreßi, tanquam in conspectu nobis obuersantur. Video in aliqua tuæ domus parte pignora librata, et æstimata cadaueris ipsius pondere, quæ sunt veluti tuæ damnationis pignus. Cogitastisne vnquam, miseri, auarique sacerdotes, accidere posse, vt anima illius, de cuius corpore tantopere contendistis, tantasque turbas excitastis, eò delata sit, vbi in eam ne tollere quidem oculos nobis liceat? Atqui tanta tibi est audacia, vt membra illa domicilium animæ, contumeliјs afficias? Vestem, gladiumque Regis in honore habes ob eam tantummodo causam, quia gestamina illa esse Regis vides: neque consideras, posse animam illam vno temporis momento, plus prodesse tibi, quàm omnis auaritia, si erga suas exuuias benignè, liberaliterque egeris? Non tu cogitas, animam illam intueri motus omnes tuos è Cælo, diuinamque vltricem iustitiam inuocare, vt tuæ erga Deum, et Sanctam Ecclesiam contumeliæ puniantur? Iam tu quid expectas? Quid cunctaris? An fortasse, vt cadauer exurgat diuino miraculo, tollensque pheretro caput, interminetur tibi propter iniurias, quibus ipsum affecisti, dicatque: me quoque mortuum offendis? Diuina te iustitia videt, neque tacet semper. Sanè indignitas tua id fieri postularet, sed tuæ famæ diuina bonitas parcit, ne

tu

tu in omnium conspectu vituperatus, ignominiosusque conspiciaris. Immo non sit hoc, quia tale conuersionis adiumentum minimè meritus fuisti. Quòd si ratione non moueris ipsa, debes saltem humano sensu commiserationeque moueri. An tu nihil humani habes? An tu fera quidem es, vel immanior etiam, quàm fera? Proprium leonis est nihil cadauerosum attingere; idque Sanctus Chrysostomus ait in sermone, quo demonstrat, nō oportere nos esse nimiùm acres inuestigatores alienæ paupertatis. Proprium, inquam, leonis est, parcere cadaueri, neque attingere inde quicquam, auertereque oculos, et sæuitiam ab animantibus illis, quæ vita deseruit. Iam videt, animantia illa succubuisse morti, capitque generosam illam naturam veluti misericordia calamitatis alienæ. Id tibi quoque faciendum est, mosque ferarum saltem imitandus. Capiat te misericordia pupilli, qui funestam mortui domum incolit, viduæque infelicis, et virginis illius, quæ miserias, atque solitudinem suam luget. Audis vndique suspiria, et lamenta, videsque lacrymas, et similia cadaueribus ora; et te vnum forti, constantique vultu illic omnes intuentur? Immo serena fronte, quasi tyrannus, in paruam illam domum imperium tuum exerces? Sed velocissimè currens hora monet, vt dicendi finem faciam, imponamque modum

S.Chrysostomus Tom. 5. Serm. Ne scrutemur pauperes curiosè.

Q ora-

orationi, cuius extremum erit, vt magnum mei pectoris arcanum aperiam vobis, amici in Christo charissimi. Non leui pudore suffusus est animus meus, simul atque cogitarem, esse mihi tam fœdam rem, atque ignominiosam dicendo persequendam; ac mecum ipse sic loquebar. Archiepiscopus ego necesse habebo conquirere argumenta, quæ persuadere nonnullis sacerdotibus meis possint, ne fœdè, atque ignominiosè velint esse auari circa mortuos? Archiepiscopus ego nobilissimæ, et antiquissimæ Metropolitanæ Ecclesiæ in hoc genere argumenti versabor? Nobiliora èsse studia nostra deberent, et opera liberaliora: et magis digna quædam à vobis requiro, sacerdotes, quos ista auaritiæ labes habet. De moribus perfectè emendandis, de instituendæ vitæ disciplina, studioque doctrinarum omnem nostram esse orationem oportebat. Attamen dicendum mihi fuit hodie, satisque apertè demonstrandum, quòd barbari etiam ipsi legem hanc non violandorum cadauerum obseruent, quòdque Philosophi veteres, non Euangelica tantùm oracula, doceant, commissam esse vobis mortuorum curam, vt ab omni vilis lucri contagione liberi sitis. Etiam necesse fuit argumenta contraria repellere, commonstrando, tenuitate pretij non eleuari culpam, ac denique contaminatos auaritia sacerdotes conferre cum feris.

Ve-

Verum, quos tandem ego alloquor? Frequentissimum hunc, et sacrum cœtum, quem nobilitas, et diuitiæ, disciplinaque scientiarum, et officia varia distinguunt, atque ornant. Hunc ego cœtum alloquor, quem multorum annorum spatio Dei Seruus, et Beatus ille gubernauit, et rexit. Eum nunc ego Dei Seruum, Beatumque hominem lamentabili voce imploro, vt mihi nunc adsit, pectoribusque vestris inserat id ipsum, quod ego adhuc persuadere sum conatus: video enim oratione nostra id non posse fieri, nec suppetere nobis idoneam verborum vim. Sit igitur et Magister, et Orator ille amplissimi gregis huius, et huius sanctæ synodi Pastor. Respicite, fratres, Magistrum vestrum: mementote, filij, diuini vestri Oratoris, magnique Archiepiscopi, et illius super hoc negotio vocem è Cælo audite, et obtemperate præceptis.

TERTIA DIE
Synodi eiuſdem.

AMBIGITVR DE PRÆTERITÆ, atque præſentis obiurgationis fructu.

CONCIÓ XV.

2. ad Corinth. cap. 12. u. 20.

T*IMEO, inquit inclyti magnanimique nominis Apoſtolus in aliqua ſuorum ſcriptorum parte, ne cùm ad vos venero, aut cùm ipſi ad me accedetis, reperiam vos ego tales, quales eſſe nollem, et ipſi me talem inueniatis, qualem eſſe nolletis. Timeo, ne ſint inter vos æmulationes, et rixæ, diſſidiaque, et aliæ culpæ generis huius. Ac timeo*, ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos. *Sic planè ego vos alloquor, fratres nobis in Chriſto chariſſimi, in ſolenni hoc, et venerando cœtu. Timeo, ne reuertens ad vos, nec placeam ipſe vobis, nec vos mihi placeatis. Sed antequam vlterius oratione progrediamur, dicendum nobis aliquid de magnanimo ſpiritu Apoſtoli, quandoquidem omnia dici non poſſunt. Quid times, Paule? Tu, quem Deus ad tertium vſque Cælum ſubduxit,*

Ibid. u. 21.

duxit, times? Miraculorum auctor etiam timebis? Non vides, omne genus hominum cælestem tuam doctrinam sequi, teque loquentem admirari, et fulminare linguam tuam, et tonare? Et tamen timores fateris tuos? Quònam abiit antiqua illa pectoris tui fortitudo, quæ periculum omne contemnebat? Persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus. *Tanquam timores omnes procul à pectore tuo in perpetuum ablegaueris. Aisque tamen timere te? Timere autem dubiam, incertamque rem, et longinquam? Et huius solum rei recordatio pauorem Paulo affert? Matri alicui similis est Paulus, quæ periculorum imagine propter filii sui charitatem expallescit, statimque amoris vehementia caminum accendit in eius pectore, quo tota vritur. Sed cur tandem ais Paule, vereri, ne te humiliet Deus? Vbinam humiliatio ista, abiectioque posita est? Vbi procul ab oculis nostris habitat? Iam considerate mecum, amici, quanta sit vis charitatis, et amoris.* Pondus meum amor meus, *inquit, sicuti scire multos arbitror, Pater Augustinus. Amor est pondus, eòque trahit amantem, quò ipse inclinat. Non minore violentia flecti poterat, frangique quodammodo, et abiici, siue humiliari fortis ille Apostoli anima, quàm pondere amoris. Non minæ, non exilia, non tormenta*

1 ad Corinthios, cap. 4. u. 12.

S. Augustinus lib. 13. Confess. cap. 9.

suffi-

sufficiebant; quandoquidem hæc omnia iam minora facta erant ipsius robore, neque in numero aduersarum rerum habebantur; Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. *Quinimmo visus est aliquando gloriari pœnis, et ærumnis, quas ipse pertulisset;* Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum. *Nimirum ærumnas, et calamitates ipse suas, quasi vtilia, et iucunda quædam memorat, non autem quasi damnosa, et acerba. Apparet igitur, non habuisse pœnas eam vim, vt ipsum humiliare possent: ac tantò magis apparet, quia dicit ipse humiliari se aduersis rerum earum euentibus, quarum prosperos euentus, gaudium esse sibi, et coronam alibi professus erat. Quod perindè fuit, ac si dixisset. Si vos ad vitia demittetis animum, abijcior ipse, atque prosternor: si vos attollit virtus, ego quoque erigor in sublime, atque extollor. Aiunt naturæ rerum inuestigatores, quandam esse in rebus omnibus societatem, et vinculum, siue communionem, quam sympathiam vocant, quæ nihil sit aliud, quàm amor: ex quo efficitur, vt vnius motu moueatur altera, ac vnius viriditate virescat alia, et viuente viuat. Sed longè acriora vincula, validioresque catenæ magnum Pauli spiritum constringebant. Humiliabatur ipse, cùm filios suos esse humiliatos videret: cùm strati illi erant, et abiecti, ipse*

Epist. ad Galat. cap. 6. u. 14.

2 ad Corinthios, cap. 11. u. 25.

quoque

quoque abijciebatur: et ex eorum vita ipse trahebat vitam. Viuimus, si vos statis in Domino. 1. ad Thessal. cap. 3. u. 8.
Quæ generositas animi etiam in Moyse, et Aaron fuit, sicuti vestigia quædam actionum vtriusque declarant. Insectabatur Duces suos inclytos multitudo, tantaque temeritas erat, vt id ipsum dolerent, quòd in Ægypto mortui non essent; eratque sermo quidam inter eos eiusmodi, tanquam reditum in eandem terram pararent. Quo audito, Num. cap. 14. u. 5.
sacræ Litteræ aiunt, Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram. *Nunc considerate mecum, quanta cura, qualesve mores debeant esse diuinis magistris, qui saluti populorum præsunt. Peccante turba, Principes afflictantur, lacrymasque fundunt, et diuino instinctu prosternuntur, timentque, cùm alienas increscere culpas vident, et alienam ipsi vicem mærent. Atque ideò mihi aliquando venit in mentem credere inter alia, quæ populorum pastores aliqua culpa possint obstringere, minimam esse tentationem, minimèque periculosam eam, cùm actionibus suis inaniter oblectantur, quippecum tot eos negotia circumstent, quibus retrudi, ac deprimi omnis altitudo spiritus possit. Præterea, sciendum est, magnæ humilitatis, et magnæ superbiæ quandam esse similitudinem in credendo, et cogitando; nam vtraque tribuit sibi res alienas, assumitque: illa quidem;*

vt

vt se se deprimat, hæc tantùm, vt se se extollat. Non agnoscit superbia suas culpas: humilitas verò, et alienas, et suas recipere amat. Diuinitus igitur ab Apostolo dicta sunt illa; Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus. *Iisdem verbis mihi nunc vtendum est, sacerdotes. Iam decimus exijt annus, ex quo mare hoc vnà sulcamus, atque nauigamus. Et quamuis pro officij mei munere intra tot annorum spatium, id mihi assumere non possim, vt sedulus Pastor appeller, ne otiosum quidem penitus appellare me vos potestis. Ac si non omnes ab radice malignas herbas extirpaui, ne illas quidem alui, et nutriui. Nec, si non serimus arbores, spinæ, tribulique sati sunt nostra manu. Si boni Pastoris officium non præstitimus, ne vorasse quidem oues dicemur. Atqui tamen pars campi vna inculta, sterilisque altera apparet; sæpeque feræ bestiæ gregem inuadunt. Reliquum est, vt pro solicitudine illa, qua salutem quisque vestram, et Dei cultum curare debetis, et pro insita vestris animis recordatione Pastoris illius dignissimi, qui olim sæpius ex hoc suggestu concionatus est, nuncque è Cælo nobiscum concionatur, petam à vobis, vt ita viuatis, ne semper* Humiliet me Deus apud vos. *Peto, inquam, à grege meo, pastoribusque gregis, vt cùm noua synodus habebitur, cùmve nos vestra templa inuisemus,*

ſemus, nihil reperiamus eiuſmodi, quo perturbati, atque confuſi iaceamus. Peto, vt liceat mihi aliquando videre faciem huius Eccleſiæ maieſtate fulgentem ea, qua ſemper optaui, diuinumque cultum, et eccleſiaſticum ordinem auguſtiſſimè ſplendere, itaut mens noſtra adhuc turbata recreetur. Quarum ſanè rerum fructus eſſet animo meo iucundiſsimus, antequam ex hac vita diſcedere contingat.

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.VIII.

DE CVRA ANIMARVM, ac de solatijs, quæ ea affert.

CONCIO XVI.

QVÆ res iustè commouere, ac perturbare eorum animum potest, qui ad dicendum accedunt, ea res inusitata quadam ratione confirmat nunc animum meum, atque ad dicendum magnoperè hortatur, sapientes, pijque auditores. Nam etsi nobis iusta est causa timendi, cùm in eorum conspectu verba habentur, qui et dignitate, et doctrina longè nos antecellunt: tamen cùm tanta, tamque singularis erga nos omnes beneuolentia cernatur illius, qui nouus auditor adest, quam tandem excusationem afferre possem, si dicendi mos antiquus in hoc loco prætermitteretur? Et quamuis præterita imbecillitatis causa, neque animo, neque corpore

pore ſatis adhuc confirmatus ego ſim ad dicendum: ſentio tamen hoc ipſo temporis momento creſcere mihi vires, atque robur quoddam occultum inſtillari. Sed quodnam ſumere poterimus argumentum aptum loco, temporique, et dignitati, ac magnitudini illius, quem ſua benignitas auditorem dedit? Quodnam, inquam, erit argumentum aptum adeò purgatis auribus, iudicioque tam raro, et exquiſito? Dicere poterimus, reuerendi ſacerdotes, de altitudine conditionis huius, quæ curam animarum agit: ac deinde iucunditates etiam tractabimus, quæ inſunt in ipſa cura, vt nimirum moleſtiæ leniantur eæ, quas munus hoc ipſum nimiùm graues, et periculoſas affert. Ac fortaſſe vox hæc noſtra tenuis habebit eam vim, vt penetrare poſſit ad mentem etiam illius, qui hodie nobiſcum occultus hìc adeſt; quique propter egregios ſuos mores poteſt eſſe multarum paſtoralium virtutum exemplum, et norma. Facilè quilibet intelligere poteſt, ad rectè perfectèque agendum vtilem ei eſſe, immo neceſſariam, ſuæ conditionis notitiam; eaque cognita conditione, facilè etiam intelliget, delectari præterea poſſe operibus, et actionibus ijs, quas ipſe ſuſcepit. Duabus præcipuè rebus bruta animantia, reſque inanimata differunt ab animatis, et ratione præditis, vel quòd res inanimatæ careant ſenſu, nullamque agendo iucun-

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.VIII.

DE CVRA ANIMARVM, ac de solatijs, quæ ea affert.

CONCIO XVI.

QVÆ res iustè commouere, ac perturbare eorum animum potest, qui ad dicendum accedunt, ea res inusitata quadam ratione confirmat nunc animum meum, atque ad dicendum magnoperè hortatur, sapientes, pijque auditores. Nam etsi nobis iusta est causa timendi, cùm in eorum conspectu verba habentur, qui et dignitate, et doctrina longè nos antecellunt: tamen cùm tanta, tamque singularis erga nos omnes beneuolentia cernatur illius, qui nouus auditor adest, quam tandem excusationem afferre possem, si dicendi mos antiquus in hoc loco prætermitteretur? Et quamuis præterita imbecillitatis causa, neque animo, neque corpore

pore

pore satis adhuc confirmatus ego sim ad dicendum: sentio tamen hoc ipso temporis momento crescere mihi vires, atque robur quoddam occultum instillari. Sed quodnam sumere poterimus argumentum aptum loco, temporique, et dignitati, ac magnitudini illius, quem sua benignitas auditorem dedit? Quodnam, inquam, erit argumentum aptum adeo purgatis auribus, iudicioque tam raro, et exquisito? Dicere poterimus, reuerendi sacerdotes, de altitudine conditionis huius, quæ curam animarum agit: ac deinde iucunditates etiam tractabimus, quæ insunt in ipsa cura, vt nimirum molestiæ leniantur eæ, quas munus hoc ipsum nimiùm graues, et periculosas affert. Ac fortasse vox hæc nostra tenuis habebit eam vim, vt penetrare possit ad mentem etiam illius, qui hodie nobiscum occultus hic adest; quique propter egregios suos mores potest esse multarum pastoralium virtutum exemplum, et norma. Facilè quilibet intelligere potest, ad rectè perfectèque agendum vtilem ei esse, immo necessariam, suæ conditionis notitiam; eaque cognita conditione, facilè etiam intelliget, delectari præterea posse operibus, et actionibus ijs, quas ipse suscepit. Duabus præcipuè rebus bruta animantia, resque inanimata differunt ab animatis, et ratione præditis, vel quòd res inanimatæ careant sensu, nullamque agendo iucun-

ditatem percipiant; vel quòd illa non habeant eum ſenſum, vt conditionem reputare, atque agnoſcere ſuam poßint, ideoque bonis, et felicitate ſua imperfectè fruantur. Iam hominum natura, quæ multis alijs rebus genus illud antecellit, etiam in hoc ipſo ſuperior eſt, quòd ſtatus ſui conditionem reputat, et agnoſcit, agnoſcendoque delectatur. Itaque cùm ratione, prouiſuque moueamur; meminiſſe debemus, inter magna priuilegia ſacerdotum eorum, qui populis præſunt, illud eſſe maximum, quòd cùm duo ſint laudabilis vitæ genera, Contemplans vnum, alterum verò Agens, horum conditio excellentißima quadam ratione genus vtrumque complectitur. Atque ex ea generis vtriuſque communione multiplices humanæ vitæ formæ, generaque diſiunctißima, maximèque inter ſe diuerſa nata ſunt, dum ſolitudines, et nemora et ſiluas, domicilia ſibi faciunt mortales; dum horrida antra pro ſplendida mole tectorum habent; dum fiunt vrbes ſolitudinum inſtar, et ſolitudines vrbium more frequentantur. Atque inde Paleſtinæ, et Ægypti, Carmelique, et Scythiæ, et ſolitudinum aliarum noua domicilia extitere. Altera verò vita coniungit inter ſe mortalium millia, et munera omnia tam publica, quàm priuata: mariaque, et montes eiuſdem vitæ dulcedine ſuperantur, variaque artes, et ſcientiæ

tiæ quasi Mundum alterum efficiunt; parem fermè huic Uniuersitati, quam Deus creauit, parique vel delectatione, vel vtilitate. Iam hæ duæ formæ viuendi tam inter se diuersæ, in hac sacerdotali vita firmißimum quasi nodum efficiunt, atque ita coniunguntur, ac si indissolubiles essent: Nam modò agendum est aliquid, modò contemplandum pro conditione officij nostri; sæpeque ab vno munere transeundum ad alterum munus, neque pars vna amplectenda tantùm. Nunc psalmis, et orationi danda est opera; nunc in medio rerum humanarum strepitu, ac tumultu viuendum est nobis. Quæ diuersarum rerum societas optimè declarata est visione vna, quam Sancti Ioannis liber ille mysteriorum plenus habet; Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube. Et iris in capite eius, & facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columnę ignis: & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram: & clamauit voce magna quemadmodum cum leo rugit. *Duo isti pedes, quorum alter Terræ imminet, alter Mari, sunt duo illa vitæ genera, Contemplatiua nimirum, et Actiua, auditores pij, qui hic adestis. Mare autem hoc designat contemplantem in ea vastitate animum; Terraque hæc actio-* Apocalyp.cap.10. u. 1.

nes,

nes, quæ intra angustos terminos cohibentur; ideóque parti alteri et nobilitate, et amplitudine cedit. Atque sacerdos hic, qui multis locis in sacris Litteris Angeli figura, et nomine designatur; non pedem vtrumque in elemento vno, sed alterum in tellure, alterum in aqua firmabat. Insuper animaduertendum est, præclaram hanc societatem in illo Canticorum libro declaratam, et expressam esse; qui liber diuinorum mysteriorum plenus est, cælestes amores, meditamentaque, et opera coniungens. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. *Non semper Sponsa quiescit, nec semper ea decumbentem in lectulo Sponsum inuenit. Sed vt inuenire posit eum, fora, viasque pererrat, totaque vagatur vrbe, donec alicubi eum reperire posit. Sic nimirum quies, et itinera describuntur ei sacerdoti, qui magnum hoc saluandarum animarum munus gerit; dum ipse scilicet pari magnanimitate siue in agendo, siue in contemplando, animi sui, et virium magnitudinem declarat. Verùm, non diuino solùm hoc munere pedes suos in vtroque collocat elemento, sed virtutem omnem, excellentiamque complectitur. Neque ille Contemplantis,*

Cantic. cap. 3. u. 1. & 2.

tis, siue Agentis vitæ partem tantummodo vnam, duasve colligit, sed virtutes omnes, siue ciuiles, et humanas, siue Christianas, et Diuinas habet. Ideo, sacro huic muneri proponuntur exempla omnia laudandarum rerum, vt imitari ea possit. Munus hoc veluti compendium esse debet, et succus, et forma, et quinta quædam natura, et idea omnis humanæ, cælestisque perfectionis, quantum scilicet assequi humana fragilitas potest. De inclyto Moyse Clemens Alexandrinus ita scriptum reliquit, propriam eius, et veluti germanam fuisse laudem, quæ nemini prætereà vlli contigisset, vt magnus Propheta, magnus legum Scriptor, magnusque Dux exercituum esset. Multi habuere cæleste donum, vt futura vaticinarentur; multi gubernauere ciuitates, et clari bello fuere multi: sed qui tria illa tam inter se diuersa, et fortasse contraria, coniungere potuerit, præter admirabilem, diuinumque Moysem, inuentus est nemo. Atque, quantum ego assequi coniectura posse videor, non fuit hoc Clementis Alexandrini inuentum, vt eiusmodi laudes conferret in Moysem: sed Hebræus Phylo, vt gloriam sui generis, et patriæ nomen amplificaret, de inclyto suo Duce ita est locutus. Ac si velimus eius Ducis facta inspicere parumper, atque considerare, consentanea, et germana tantæ gloriæ cuncta reperiemus. In

Clem. Alexand. lib. 1. Strom.

Phylo lib. de premijs, & pœnis.

montis

montis vertice supra conditionem hominum euectus, magis Angelo, quàm mortali, similior fuit. Ea, quæ multis post sæculis accidere debebant, vaticina sua mente prospiciebat, totque sæculorum præteritas res volumine vno complexus, posteritati memorauit. Iam per vastas illas, immensasque solitudines Hebræorum agmina Ducem hunc vnũ habuere. Ille direxit aciem, et in peccati pœnam tot millia strauit humi, rebellemque exercitum coercens, decimumquemque puniuit. Insuper ille ciuilem Reipublicæ statum ordinat, et scribit leges, et magistratus instituit, nouamque formam ciuitatis nunquam antea repertam, summa cum omnium vtilitate, et admiratione populo suo repræsentat. Denique ille accipit è Cælo tabulas legum, easque leges interpretatur, et promulgat, et obtinet, vt sanctè, inuiolatèque custodiantur. Sed video ego laudem illam admirandam, quæ propria præcipuaque Moysis vnius olim habita est, quamque in eo mortales cæteri omnes satis admirari non potuerunt, eam factam esse communem omnium quotquot in amplißimum hunc ordinem, conditionemque sunt adscripti, vt animarum curam agant, populorumque pastores appellentur. Hi sunt Duces, et Legumlatores, et Prophetæ. Nunc isti in vastis solitudinibus vnà cum populo morantur, variaque discrimina subeunt: nunc eru-

erudiunt populum, legesque etiam, et decreta scribunt ad publicam vtilitatem: nunc ad aram diuinæ voluntatis interpretes, accipiunt, redduntque responsa cælestium, arcanarumque rerum. Subducuntur in fastigium sæpe montis, ibique soli agunt: frequentissimas etiam sæpe ciuitates incolunt: præliantur, docent, seuerosque, et clementes mores alternant, præmia, pœnasque coniungunt. Neque descriptio est hæc absoluta laudum ordinis tanti; namque relicta mortalitate, ad Cælum vsque pastores eriguntur, et similitudine quadam inserunt sese Diuinitati, admirabile illud opus imitantes, cuius causa Christus ipse Saluator è Cælo descendit. Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. 1. ad Timoth. cap. 1. u. 15. *Non vt ægra corpora tantùm sanaret, alijsque miraculis conuerteret in se genus hominum, è Cælo descendit, sed vt peccatores saluos faceret. Et alibi hæc extant;* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Ioan. cap. 20. u. 21. Sicut misit, *non cum potestate ipsa Filij, quandoquidem propria hæc eius potestas erat; neque modis illis, quibus ille, dum in terris ageret, vsus fuit: sed verba illa,* Sicut misit, *referuntur ad finem, actionemque ipsam lucrandarum animarum, conseruandique gregem ipsum, cuius officij partes declaratæ sunt illa ad Principem Apostolorum compellatione;* Simon Ioannis diligis me? Pasce oues Ioan. cap. 21. u. 15.

S me-

meas. *Neque semel tantùm ea verba pronuntiata sunt, sed iterata sæpius, quò maior, et illustrior significatio desiderij fieret. Cùm autem Christus ita compellaret, hæc fermè dicere voluit: Petre, et Discipule mi, columna, subsidiumque Ecclesiæ, Magister populorum, Pastorumque Pastor, non iam ego postulo, vt promittas te fortem ad subeundas iniurias omnes, contemptoremque vinculorum, et carceris, et catenarum. Non hic à te postulo, vt vulnera, et verbera excipiendo, sanguinem effundas: neque id postulo, vt spondeas mihi, te post paucos annos, ex ligno pendentem, finiturum mortalem hanc vitam ad mei exemplum et imitationem. Hæc à te non requiro: tantùm hoc requiro;* Pasce oues meas. *Quod vt promptiùs, atque solicitè magis exequare, memento dixisse me,* Pasce oues meas; *nam meæ sunt istæ ouiculæ, non tuæ. Quoniam verò iustum, consentaneumque est, vt tantam hanc gloriam suæ præmia consequantur, postquam in terris felicissimi pastores Cælestem imitati Magistrum fuerint, Regnumque Cæleste adepti, diuidentur in ipsos spo-*

Isaiæ cap.9.u.3. *lia, et insignia victoriarum.* Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. *Duplex, et magna hic voluptas proponitur, atque repræsentatur: ex pace, et quiete altera quidem,*

al-

altera verò post graue bellum consequetur. Sicut qui lætantur in messe, *tunc inquam, cùm graues manipulos inspicit agricola, nullaque satis ad messem capace area renidet agreste ministerium, et domus tota messorum cantu, alijsque lætitiæ signis exultat ac gestit. Quònam abiere fulgura, et tonitrua, grandinesque, et procellæ, quibus aratorum animi perculsi iacebant? Quònam timor famis, et egestatis, et horæ vnius discrimen abijt, cùm non dies vnus, sed momentum vnum totius anni laboribus horrificè minitaretur? Neque minor postea fructus voluptatis est ex victoria, cùm spolijs onusti, circumspectamus emptas ferro moles auri, partisque thesauris iucundè incubamus, cùmque honor, et vtilitas, et iucunda omnia vinculo vno connectuntur. Qui triumphus ille? Qui lætitiarum cumulus? Quàm lætæ voces vndique audiuntur? Ita continget nobis pulcherrimo illo die, in quem omnia iucunda, et gloriosa cumulata erunt. Pastores animarum prolem suam videbunt, atque cum ea triumphantes, laudes audient illius diei, cùm erudirentur ab ipsis, atque castigarentur, eaque via ducerentur in portum salutis*. Sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. *Magnam igitur, incredibilemque lætitiam pastores animarum ob causas prope innumerabiles habebunt*.

Restat vltimo loco, vt breuißimè videamus etiam quam secum iucunditatem afferant officij nostri labores. Præter enim dignitatem, et maiestatem, qua officium hoc nostrum maximè excellit, iucunditatem etiam habet; qua iucunditas inchoatum omne opus absoluit, immo ipsius quasi quidam magister est. Dicimus igitur, sacerdotes, ex eorum consideratione, quæ officia nostra, et priuilegia muneris huius nostri attingunt, tanquam ex fonte, voluptatem omnem manare. Atque ita esse comperiemus, si nobiscum in hunc modum ratiocinari volemus. Pastoralis hic honor continet vtramque vitam, Contemplatiuam nempe, et Actiuam; ideoque ab vna ad alteram vicißim transeundum est. Quod si à nobis fiet, altera nunquam nimium defatigati erimus, altera defeßi iam debilitatique spiritus nostri, leuamentum, et quietem inuenient. Sicut anni tempora non varia solum, sed inter se contraria, recreant animum nostrum: ita duplex hoc vitæ genus recreabit. Conditio nostra scatet omni virtutum, et meritorum genere, omniaque honesta hic habitant. Sit igitur nostra quies, non in otio collocata, sed in vicißitudine laborum, cum quadam imitatione Moysis diuini, immo Dei Filij, cùm inter homines versaretur. Præmium vltimum, gloria cælestis erit, et sempiternæ illius iucunditatis fructus.

Quid-

Quidnam erit in hac mortali vita iucundum adeo, et latum, quod voluptates eiusmodi tantas æquare poßit? Quæ molestiarum et solicitudinum tam densæ tenebræ, quas tanta lux illico dißipare non queat? Lucem autem hanc tantam, concedat nobis Deus, vt cum inenarrabili iucunditate assequi poßimus.

SECVNDA DIE Synodi eiusdem.

DE DAMNIS, QVÆ PAROCHI accipiunt ex laicorum consuetudine.

CONCIO XVII.

QVANTOPERE munus hoc pastorale nostrum, et vestra quoque, sicut arbitror, accensa voluntas, reuerendi sacerdotes, impellit me ad dicendum, atque inflammat; tantoperè tenuitas nostra, et infirmæ vires ab hoc ipso dicendi munere auocant, ac deterrent. Nimirum huius nostræ miseræ mortalitatis conditio ea est, fratres, vt etiam rectè, ac sanctè, laudabiliterque agere volentem animū, incommoda corporis, et calamitates vincant, parsque illa nobilior cedere, atque succumbere deteriori huic cogatur. Atque spectatores vos huius inchoati nostri operis, mitiùs, vt opinor, amabiliùsque erga debilitatem hanc nostram affecti eritis, quàm vulgò solent esse qui contrahunt inter se aliquid, atque negotiantur: non enim vos, sicut illi, spectabitis id tantummodo, quod debetur à nobis charitati vestræ, sed potius id, quod infirmæ

vires

vires præstare, ac persoluere possunt. Simul etiam illud ego considero, minorem soluendi necessitatem esse mihi in hoc dicendi munere iniunctam, vt desiderio vestro satisfiat, quàm si satisfacere alijs quibusdam necesse haberem. Nam cùm videam esse vos iam assuefactos orationi nostræ, alacresque animis ad omnia exequenda quæcunque nobis placuere, minorem simul efficaciam, atque vim orationis ad mouendos animos vestros esse necessariam video. Magna spes vtique mihi est, fore, vt satis altè, satisque vehementer descendat in animos vestros ea vox, et oratio, quam placuisse vobis aliàs manifestè declarastis. Ac sicuti diuinum Moysem multitudo sua charum, acceptumque habuit, etiam si impeditiore lingua ille esset: ita vos veniam dabitis imbecillitati meæ, si nequaquam hodie attulerimus eum orationis apparatum, eamque vim in reprehendendo, quam locus hic ipse requirit. Non *enim* sum eloquens ab heri & nudiustertius. *Humili tantùm, et quotidiana oratione tractabimus hodie vobiscum nonnulla, quæ semper animis insidere vestris, et præter cætera omnia, fixa esse vellemus. Cùm igitur varij sint ordines, et varia munera consessus, atque coronæ istius, quæ hìc adest; cùmque alij pastores animarum sint, alij psalmodiæ causa instituti sacerdotes, alij ministri tantummodo altaris,* Exodi cap. 4 u. 10.

ris,

ris, et nihil vltra quàm sacerdotes, variam quoque dicimus pro ordinum diuersitate, nostræ orationis formam esse oportere. Itaque sermo noster hodiernus consumetur solùm in eorum officio, ac munere, qui magnum alienæ salutis onus sibi impositum gerunt. Atque inprimis dicimus, celeriùs omnino, quàm spes, et opinio nostra fuerat, excidisse ex memoria multorum id, quod aliquando concionati sumus de vitanda laicorum consuetudine, quæ malorum omnium origo est, et nihil boni afferre potest. Multa nos quidem de eo genere diximus hoc loco: sed præter ea, quæ diximus, considerate quæso, quanta damna, quæ strages, et ruina rerum omnium in sacerdotum vita consequatur, vbi sese perniciosis eiusmodi malisque consuetudinibus immiscuere. Considerate, eiusmodi consuetudines fore semper vobis initium, vel animæ in æternum amittendæ, vel etiam finiendi mortalem hanc vitam, vel denique, inter magnas hasce clades, amittendi honoris, et existimationis, quæ honesto cuilibet homini, non minùs, quàm vita ipsa, chara esse debet. Quòd si tria hæc amitteretis, auertat tamen Deus, nescio, an reliqui quicquam maneret, quod charum vobis optabileque esset. Verùm, etiam si singulari aliquo diuinæ misericordiæ munere, tria hæc bona, salus nempe animarum, et corporis salus, et vitæ fama,

ho-

honestasque integra vobis maneret, neque ea vno ictu peritura essent, sicuti quidem interdum esse factum scimus, quæro ego à vobis, sacerdotes, quanta præmia, et quantas vtilitates possit afferre vobis ista cum laicis consuetudo, quam tantopere adamatis. Quantæ hereditates, et patrimonia, domusque, et palatia, et pretiosissimarum rerum thesauri vobis inde obtigerunt? Proferte quæso, testamenta, et codicillos, et legata, siue donationes, quibus illi amicitiam nobilitauere, quam vobiscum habuerunt. Possumus nos quidem proferre damna, et iniurias, et vim apertam, et vulnera, madentemque adhuc recenti nonnullorum cruore terram, in qua factæ sunt sacerdotũ cædes: hæc nos poterimus proferre, ac monstrare, si voletis. Atqui nonnullis tamen tam perdita erit vita, tamve vecors animus, vt falsa opinione decepti, perniciem ament suã, et se ipsos pessimè oderint, atque in exitium adducere perseuerent. Ac sicuti bonarum omnium, salutiferarumque rerum ea conditio est, vt bona alia trahant secum, atque alliciant: ita malæ res ea sunt conditione, et natura, vt serie quadam, et nexu conserantur inter se se, et illa Diaboli manibus conserta catena, nectat quasi scelerum annullos, et sine fine porrigatur. Ita planè nimia cum laicis necessitudo, contrectatioque negotiorum aufert necessarias ad studia

T dia

dia litterarum horas; cùmque desit sacerdotibus otium ad ea perdiscenda, quæ munus ipsorum requirit, efficitur paulatim, vt qui magistri aliorũ esse debebant, sapientia ferè vincantur ab alijs, vel potius in miserrimam ignorantiam facillimè delabantur: tantaque calamitas minimè sentientes ipsos occupat, atque habet. Vos appello, sacerdotes, qui procul ab vrbano strepitu vitam agitis, quanta posset esse iucunditas solitudinum illarum vestrarum ad eorum fructũ, qui salutaribus doctrinis erudiri vellent? Sæpe ego, cùm in nostro pastorali visitationis munere domi vestræ hospes essem, consideraui quàm apta ad sanctè, et christianè philosophandum essent vestra illa domicilia inter amœnas valles, vel apud nemora, vel iuxta decursus aquarum, vel in amœna planicie, prospectuque camporum. Atque in ea consideratione, ducens ab imo pectore suspirium, sic aiebam. O nimiùm felices, si bona vestra noscatis! Sed rursus, ò nimiùm infelices, nisi vestra bona noscatis! Pro dolor. Tartarea ista catena, quæ tot animarum millia trahit secum in æternum exitiũ, porrigitur etiam longiùs, ò sacerdotes, qui timetis Deum. Namque non solum consumitur inutiliter tempus negotijs alienis, sed planè perditur, atque effunditur nihil agendo: sedentque totos dies illi, per quos erudiri teneram ætatem oportebat,

vel

vel disciplina fidei, et virtutum, vel agnitione Sacramentorum, quibus percipiendis matura iam illa erat. Ac vidi ego nonnullos, qui grandes, et adulti iam, nondum in Ecclesiam introducti erant, vt accumberent in Angelorum mensa, Caelestisque cibi participes fierent. Verùm, porrigente se se magis adhuc improba catena culparum eiusmodi, dicunt, excusantque sæpe miseri sacerdotes, non dari sibi tantum otij, vt obdurata suorum pectora castigare, ac monere salutariter possint; aiuntque, deesse sibi animum fortem ac generosum, quo scelera eorum oppugnent. Inde fit scilicet, vt publica mala per alienos magis deferantur sæpius ad nos, quàm per pastores, et rectores animarum, qui habent omnibus horis in conspectu scelerum auctores. Atque ita canes muti fiunt, fiuntque cæca speculatorum capita, et sopiti custodes iacent; negliguntque sua patres familias, et segne otium agunt, et pastores ipsi quiduis aliud, quàm curam, et pascua gregis meditantur. Quonam modo poterit aliquis vestrum tam diuturno silentio obmutescere, cùm sit pater, et pastor, manusque continere, et obstupescere ipse rigore quodam marmoreo, cùm talia ante oculos obuersentur? Quomodo altam hauritis quietem, et somnum, cùm tantus strepitus, fragorque, et ruina circumstet? Dicite mihi tandem quid rei est hoc.

Somnusne, an lethargus, an mortis imago quædam, dum inter viuos agitis? Soluantur ista tandem vincula, fratres. Soluamus vincula colli nostri. Non enim peccati iugo subdita esse colla nostra diutius debent, ne scilicet vna catena tenebrarum colligati omnes, in perpetuas inferorum sedes abstrudamur. Sit vobis cordi libertas spiritus: sint odio vincula Diaboli, infameque illud peccati iugum. Itaque, State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri; *memores illius, quòd* non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.

Isaiæ cap. 52. u. 2.

Sapient. cap. 17. u. 17.

Epist. ad Galat. cap. 5. u. 1.

Ibid. cap. 4. u. 31.

TER-

TERTIA DIE

Synodus eiuſdem.

DE CANONICORVM OFFICIO, et eorum, qui rem ſacram faciunt.

CONCIO XVIII.

PROSEQVEMVR, fratres chariſsimi, ſermones noſtros ea, qua inſtituimus, familiaritate, dicemuſque hoc ipſum, quod clarum, manifeſtumque eſt; non tam iucundum eſſe ægroto, ſi medicum, alioſve de natura morbi, cauſiſque, et effectis ſubtiliſsimè diſputantes audiat, quantoperè iucundum eſt, ſi multa circa lectulum opportuna remedia videat, eorumque virtute reficiatur, atque ſubleuetur. Id ipſum in animi morbis ferè contingit, de quibus, omiſſa ſubtilitate quæſtionum, commodiſsimè facturus eſſe videor, ſi ita diſſeruero, vt verba ipſa ſint remedia malorum veſtrorum; ſtatimque ſermonem hunc noſtrum fructus aliquis ſalutis conſequatur. Cùm igitur antea conati fuerimus prodeſſe paſtoribus animarum, et eorum ſanare morbos; nunc prodeſſe conabimur il-

lis,

lis, qui psalmodiæ tantummodo, et rei diuinæ causa instituti, in hac sacra corona sedent. Atque vt canonicorum officia priùs tractentur, tria sunt, quæ opportunè præcipere posse illis videmur. Primum caput ad eos pertinebit, quibus præfectura, siue censura chori demandata est, vt ipsorum diligentia, nulla diuini officij pars fraudetur. Hos monere debemus, vt sint ipsi diligentißimi omnium, memerintque, non esse in ipsorum potestate, et arbitrio dispensandi eos pecuniæ fructus, qui diuinò cultui destinati sunt atque addicti. An fortasse poßident ipsi suo aliquo iure fundos eos, easque pecunias, ita vt arbitratu suo poßint donare quibus velint? Nec metu, nec odio, nec gratia, præter diuinas leges, in ea dispensatione fieri quidquam licitum est. Non benignitate vlla, non vlla pusilli animi modestia cohiberi censorem oportet, quominùs iustè, atque æquabiliter in omnes agat. Qui secus faxit, iniustus erit iudex, raptor alieni, sacrilegus in sacrificio, et tanquam perdita illa proles
1. Regum, cap. 2. n. 13. *Heli victimas, et dona detraxiße dicetur. Alius admonendi locus est circa nitorem templorum, et rerum omnium, quæ ad diuinæ rei ministerium spectant, ita vt instrumenta ipsa maiestatem Ecclesiastici ordinis augeant. In eo autem tantò maiorem eße diligentiam oportebit, quantò certius etiam inde indicium vestræ puritatis à prudentibus ho-*

hominibus fortaſſe capietur. Ac ſi Dei domus gemmarum, et auri ſplendore, ſuperioris ætatis æquare magnificentiam non poterit; detur opera ſaltem, vt pauperes munditiæ ſint pro gemmis, et ornatu. Nam ſi viri nobiles, non minus munditie, quàm ſplendore delectantur; cur abeſſe debebunt munditiæ ipſæ ab ſanctis, et diuinis rebus, quarum nobilitatem nulla humana nobilitas æquare poteſt? Sed cùm apertiſſima res ſit, argumentis eam illuſtrare ſuperſedemus. Et quamuis nonnulla dicta fuerint de cultu, ac nitore, quem circa templa cuſtodiri deceret, non eo tamen nitore, et cultu contenti ſumus; nam vellem ego puros, nitidoſque vos eſſe in conſpectu Dei; vellem ad Eccleſiaſtica officia ſedulos eſſe vos, atque attentos, pſallenteſque non lingua magis, quàm interiore ſenſu, ſacrificanteſque ſacrificum laudum, quæ in conſpectu populi pia ſacraque vota eſſent. Abſoluto autem huiuſmodi actionum munere, nollem conſumeretis tempus inutiliter, neve quicquã aliud ageretis præter Eccleſiaſtici veſtri ſtatus dignitatem, itaut dici poſſet, vno temporis momento perdidiſſe vos id, quod diuturna pſalmodia meriti fuiſtis. Græcus inclyti nominis Orator dixit, damnoſum eſſe, ſi quis ex balneo recens, atque ſuaui, et ſalubri calore perfuſus, aperto ſe ſe cælo repente committat, ventorumque vim experiatur.

3. Regum, cap. 6. u. 7.

Pſal. 106. u. 22.

Ad

Ad eum planè modum insalubre est anima nostra, si protinus ab templi limine ad solatia deuagemur. At si populo generatim omni præcipiendum est, vt eiusmodi culpas vitet, quid tandem præcipiendum erit sacerdotibus, quos excellentia morum longè esse præstantiores oportet? Conuertenda iam oratio nostra est ad eos, qui rem sacrā faciunt. Non sanè deberent isti obire sacræ Confeßionis mysteria tam rarò, quàm vtique faciunt; accedunt enim ineffabili modo in conspectum illius, cui [A] nec stella, nec Cælum satis pura, et splendida sunt; cuius [B] splendorem sustinere non possunt Seraphini; cuius [C] tale iudicium est, vt damnari necesse sit eum, qui vult sese probare, quippecum nullum testimonium extet tam illustre, quod saluare nos poßit, et culpas occultare, aut subleuare. Ac licet sancti essemus, sicuti minimè sumus, lateret tamen sanctitas ea nostros oculos, neque testimonium ipsi perhibere nobis possumus. Vellem insuper ita fieri rem diuinam ab vno quoque vestrum, vt commoda, et vtilitates, quæ inde consequuntur, minimè respiciatis; nam cùm sacrificium illud sit purißima cælestis oblatio, qua Dei Filius, non agnorum, iuuencorumve sanguis immolatur, offerentis animus carere sordibus omnibus debet. Nam alioqui impurius id esset, quàm vendere columbas in templo; altariaque ipsa contami-

A Iob cap. 15. u. 15.
B Isaię cap. 6. u. 2.
C Iob cap. 9. u. 20.
Epist. ad Hebr. cap. 9. u. 12.
Matth. cap. 21. u. 12.

tami-

taminata vilis pecuniæ mercimonio, sordidiora essent mensis illis, quas auaritiæ plenas irata Christi manus euertit. Quamobrem, omnes animi vestri partes illuc esse conuersas oportet, primò quidem, vt sacrificio, deinde verò, vt voluntati satisfiat eorum, qui vobis benignè eleemosynam contulerunt. Horum querulæ voces, vbi hanc mortalitatem reliquere, atque in Purgatorio detinentur, aures assiduè ferire vestras videri deberent cum hoc sono; Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, *sacerdotes, quos mea domus, fundusque meus alit, et ad quos pecuniæ nostræ peruenerunt.* Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, *à quibus nostro iure hunc misericordiæ sensum exigimus.* Saltem vos, *quos et amicitiæ lege, et ciuili officio, et ecclesiastico decreto, et pietatis denique lege misericordes eße oportebat. Eluceat igitur, fratres charißimi, charitas nostra erga illos, qui viuunt adhuc, pietas erga illos, qui iam vixere: atque ita nostri muneris officio laudabiliter perfuncti erimus.* Iob cap. 19. u. 21.

QVARTA DIE
Synodus eiuſdem.

EXPETITVR FRVCTVS ſuperiorum Concionum.

CONCIO XIX.

1. ad Corinth. cap.14.v.19. SED in Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua. *Cùm ſanctè, grauiterquè pronunciaret hæc verba Paulus Apoſtolus, hoc ferè dicere voluit, fratres chariſſimi. Non dubito ego, quin charitatis virtus maximum ſit, ampliſſimumque donum, et præſtantiſſima res omnium, quæ contingere vobis poſſint, Viri Corinthi. Attamen volo ego petere à vobis, atque contendere, vt talia quoque ſpiritualia dona adipiſci velitis, qualia nimirum ſunt prædictio rerum futurarum, et linguarum interpretatio, et ſcientia diuinarum rerum. Illud præterea monitos eſſe vos velim, colligendos eſſe vobis fructus bonorum operum quàm vberrimè, ac copioſiſſimè, dandamque operam, vt multa eiuſmodi opera proferre poſſitis. Itaque malo pauca quædam*

effari

effari salutaria vobis ad animi mei sensum, necessitatemque vestram apta, quàm absque vllo vestro, meoque fructu, multà sapientißima verba proferre, fratres charißimi, pijque sacerdotes. Ad magni Pauli imitationem ita vos ego alloquor. Nunc in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quàm decem millia verborum in lingua. *Optimè enim scio, dicendi finem esse persuasionem, et eos, qui faciunt iter, hospitium nocturnum spectare; et prosperos ventos desiderare nauigantes, vt attingant portum; serique messis causa; et cupidine pacis, victoriaque bella geri. Quæ cum ita se habeant, altè descendere in animos vestros orationem hanc nostram vellemus, memores diuini præcepti, quod est in Deuteronomio, vt verba nimirum omnia legis ita describerentur in superficie altaris, vt clara, et aperta legentibus essent, altareque ipsum exstrueretur ex impolito, et rudi lapide, quem nulla ferri acies attigisset. Talem arbitror ego fuisse nostræ huius orationis formam, qua vobis persuadere multa sum conatus. Reliquum est, vt non leuiter impressa verba sedeant animis vestris, sed* stylo ferreo, & plumbi lamina, *et tanquam in silice incisa sint. Inuoco diuinam Maiestatem, et sanctos omnes Ecclesiæ huius nostræ Tutelares, et Patronos, inclytumque nostrum Patrem*

Deuter. cap. 27. u. 8.

Iob cap. 19. u. 24.

Ambrosium, et gloriosum Galdinum, qui tanto persuadendi studio accensus fuit, vt in eo munere ad extremum vsque vitæ finem strenuè perseuerarit; cuiusque memoriam hodie summa gratulatione recolimus. Hos omnes inuoco, et imploro, vt orationi meæ spiritum, et robur addant.

Deuter. cap. 32. n. 2. Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. *Non ego flumen, atque proluuiem orationis effudi, sed rorem potius quendam, qui vtinam permeare possit omnes animi*

Ibid. cap. 32. n. 2. *vestri partes, intimosque sensus, et* quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina, *eliciat ex animis vestris sempiternæ abundantiæ fructus. Iam hìc esse orationi nostræ terminum oportet, in quo termino, et fine, fratres, et amici, prosequor vos ego benedictione non solùm vsitata illa nostra, sed augustiore etiam illa, quam Archiepiscopus reliquit ille, qui heri hinc discessit. Iam abite omnes ad vestri gregis curam: abite ad domicilia vestra grauiter, ac modestè, sicuti vos decet.*

IN

IN CONCILIO
Prouinciali.
ANNI M.DC.IX.
DE STATV ECCLESIÆ METROPOLITANÆ Prouinciæ Mediolanensis.

CONCIO XX.

MAGNA *cum animi mei iucunditate, spiritualique lætitia, Patres, et Pastores charißimi, expectaui ego felicem vestrum aduentum, atque tam iucundum diem; et sacer hic cœtus sacerdotum, et hæc populi frequentißimi corona, studio videndi vestros vultus, et veneranda ora, contemplandique tam solennem actionem, diuturno desiderio vos expectauerunt. Vos enim estis læti pacis Nuncij, speciosique vestri pedes sunt, et illustria dona ad nos affertis. Ministri vos sacrarum rerum, et animarum Custodes, et Columina Fidei;*

et

et populi Doctores. Neque vero ob aliquod humile negotium, caducasve res, leuesve causas, relicto domicilio, et Grege vestro, huc venistis; sed venistis, vt officij vestri me consortem, et socium, amicumque vestrum adiuuaretis, et huic numeroso Gregi, qui vos circumstat, ferretis opem, vestraque voce satis nota ipsi, in meliorem viam eum traduceretis. Venistis hic firmandæ diuinæ Domus causa sacris legibus, corrigendi improbos, animandi bonos, addendique robur ad rectè agendum, amplificandæque, quantum fieri possit, gloriæ Pastoris illius, quem multi vestrum, dum inter mortales ageret, amauere vnicè, ac reueriti sunt. Vt igitur constet tam pretiosi otij, opportunique temporis fructus, et vt opera vestra quàm maximam nobis vtilitatem ferat, statui vestris etiam oculis proponere mala, quibus laboramus. Ac sicuti medendi ars originem, incrementumque suū nacta est ex humanarum valetudinum consideratione: ita magna mihi spes est, fore, vt cognito rerum nostrarum statu, opportuna remedia adhibeatis. Sed antequam id facere aggrediamini, peto à vobis, vt huius antiquissimæ, et nobilissimæ Ecclesiæ venerandam imaginem intueri parumper velitis. Neque requiro, vt repetentes ab vltima antiquitate memoriam Pontificum, et Martyrum, et Confessorum, inclyta eorum facta, memo-

riasque

riasque sempiternas consideretis, humanasque simul, et diuinas virtutes ad Republicæ Christianæ vtilitatem, admirationemque coniunctas: sed potiùs, colligendo mentis vestræ aciem ex tam immenso spatio intra nostræ huius ætatis memoriam, consideretis velim optimas leges, quibus temperata est hæc Metropolitana Ecclesia, et quemadmodum ea ministerijs, et iurisdictione tota augustißimè fulgeat. Hîc varij gradus munerum, honorum, ac dignitatum, varijque ordines, et varia etiam opum humanarum discrimina cernuntur. Hîc varij nationum cœtus, quos sacerdotes, laici, nobilesque, et minùs nobiles alere, atque ad perfectum expolire conantur. Hîc templa magnifica et ampla, quæ sunt veteris, recentisque pietatis monumenta, et rem quoque ciuilem exornant atque augent, paßim conspiciuntur. Hîc varij monachorum ordines, religiosique sacrarum virginum cœtus, in extremis vrbis partibus, velut ad præsidiũ ciuitatis collocati, cernuntur. Verumenimverò, sicuti ager hic tam latè patens nequaquam natura sterilis, infœcundusque est: ita tribulis etiam, et spinis, et alia segete malarum herbarum scatet. Negligentia circa animi curam perniciosè adoleuit; germinant vitia, et deliciæ serpunt; superbiaque, et luxus, et ganea, veluti malignæ ac venenatæ stirpes, vberiùs latiùsque pullulant. Et quamuis

uis non poßim ego pro superiorum Pastorum diligentia, maximèque illius, quem nobis contigit, vt Sanctum videremus, mœstißima illa verba
Isaiæ cap. 6. u. 5. *proferre*, Vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito;
1. Machab. cap. 4. u. 38. *neque illa similis mœstitia*, Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata; *possum*
Isaiæ cap. 24. u. 7. *tamen haud sine suspirio verè dicere*, Luxit vindemia, infirmata est vitis; *et cum alio item Pro-*
Ioelis cap. 1. u. 12. *pheta pronuntiare verba illa*, Vinea confusa est; *et illa item*, Confusum est gaudium à filijs hominum. *Verùm, aliquis fortasse vestrum ita dicet. Nos quidem iam satis de tua Ecclesia statu ac conditione audiuimus; iamque multa considerata sunt: de te verò ipso, ac de tua industria, et vigilantia, pastoralique officio quid tandem commemorare poteris? An tibi ab formica sumendum exemplum est, vt rectè, ac laudabiliter agere condiscas? Non ego, Reuerendißimi Patres, allaturus sum hoc loco communem illam excusationem, difficile vnicuique esse verba facere de se ipso. Non ego talia responsa christiano indigna philosopho, hoc est Pontifice, vobis feram. Sentio graue regendarum animarum munus, succumbuntque propemodum vires oneri: et sentio, parum adhuc cumulatè à me satisfactum esse pracepto illi, quo*

magno

magno illi sacerdoti imperauit Deus hisce verbis; Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij super pectus suum; *neque hosce meos filios ego ex disciplina magni Moysis condere in sinum potui; neque hos ferre per calamitosum, ac difficile vitæ huius iter,* sicut portare solet nutrix infantulum. *Status, et conditio rerum mearum est eiusmodi, Reuerendissimi Patres; et à vobis diuturno rerum vsu, summaque sapientia præditis, remedia opportuna expectant, quæ ego mea hac voce, sacerdotumque horum omnium, et pij huius populi nomine, à vobis exposco. Et quoniam huius Synodalis actionis finis respicit non meam solùm, sed vestram simul, et communem omnium vtilitatem, et fructum: ideo peto vt de vestris quoque rebus, et Ecclesiarum vestrarum conditione quæri, et agi velitis, atque solicitudinem huiusmodi nostram æquo animo admittatis. Diligentissimè quisque se ipsum dijudicet, atque reputet ipse secum, an verba similia illis magni illius Patriarchæ, et Pastoris proferre possit;* Oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: die, noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. *Obsecro vnumquemque vestrum, vt recolat animo iucundam*

Exodi cap. 28. u. 29.

Genesis cap. 31. u. 38.

illam de inclyto Hebraico homine narrationem;
1.Regum,cap.17. n. 34. *qui tam gloriosè armenta pascebat*; Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum. *Ac de me ipso quidem, et de vobis, et de conditione Ecclesiarum hac generatim dixisse satis erit; conuerteturque nostra deinceps oratio ad multitudinem hanc innumerabilem, atque ad cœtum hunc tanti populi, qui maris instar, vndique circumfusus, exspectat sibi quoque verborum partem, et eam alto silentio quietus exposcit. Possunt quidem fama communis, et hic ipse apparatus, et quicquid olim aliqui vestrũ vidistis, satis vos erudire, fratres, quam ob causam Concilia hac nostra instituta sint, quive inde fructus, atque vtilitates expectentur: sed ego quoque de ea re paucis agam. Res humana omnes, terrestresque substantia ita sunt inter se connexa, et apta, vt si quis eas rectè contempletur, videat forti tanquam vinculo adstrictas, atque colligatas: ideoque elementa, mistaque corpora, et animata, et inanima vinculo eo haud carere sentiet ad munus quæque suum. Ea series, isque rerum nexus ab æterno Conditore institutus est nostra vtilitatis causa, vt mutuo auxilio consociarentur ad humana vita vsus, atque necessitates. Itaque dicere*

pos-

possumus rerum creatarum omnium, quæ sub oculos cadunt, dimensionem et pondus, et proportionem ita libratam esse, vt vnius rei vitium alterius perfectione suppleatur. Ideò, videmus opaca lucidis; infirma fortibus; obscura nobilibus; caduca sempiternis; occulta notis; mortalia immortalibus; humana diuinis adiuuari, atque illustrari. Quamobrem, dicere posse videmur, ordinem hunc appellari posse communem legem, atque communé ornamentum creatarum rerum, pulchritudinem eximiam, quæ secerni non potest, naturalemque catenam, et nodum æternum, et quasi Mundi vitam. Quæ quidem omnia in hominum societate, tanquam in perlucidiore speculo, clarius etiam, apertiusque cernuntur, dum alter alteri, et mente, et corpore, reque ipsa subsidium affert. Quippe suas inuicem miserias, atque calamitates subleuando homines ipsi, iungendoque cum diuitijs inopiam, amabile illud ciuilis vitæ consortium efficiunt. Sed altiùs etiam euecta mens mea, cernere videtur in Cælesti Regno, sedibusque Beatorum quandam imaginem legis, disciplinæque huius. Ibi consessus et corona Spirituum æternorum: ibi Concilium æternum: ibi Mentes, Spiritusque beati notitias, opesque diuinas, et multa inter se bona communicant. Ibi habere, et non habere pars vitæ æterna sunt; dandique, et accipiendi vicissitudo,

communicatioque maioris, minorisue luminis, beatissimi illius cui partem trahunt. Hæc igitur sunt exempla, specimenque et simulacra uera huius nostræ celebritatis, Charissimi fratres. Hic Gratiæ Mundus est, interiorisque spiritus hominis imago, et militantis Ecclesiæ terrestre Cælum. Sacer, diuiniusque cætus, quem sacra Litteræ, nisi fallor, tunc primum adumbrauisse videntur, cum Moysen, oneri suo succumbens, expostulansque, quòd populum illum regere vniuersum nequiret, hæc audiuit verba; Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel. *Illique septuaginta producti confestim ante Tabernaculum, et varijs muneribus præpositi sunt. Id ipsum institutum nobilitauere longo post tempore facta Saluatoris, et verba, cum ille, postquam precatus esset, ita dixit Discipulis suis;* Quem dicunt homines esse Filium hominis. *Atque in eo colloquio, præsentibus Apostolis, altas illas quæstiones diuinus Magister explicauit. Ad cuius Concilij imitationem, Apostolicique moris exemplum, tot posteà Concilia, tum communia totius Ecclesiæ, tum propria singularũ ciuitatum habita sunt stabiliendæ Fidei, corrigendisque moribus, et ea varijs locis, temporibusque consuetudo adhibita est. Ita nos quoque commoti talibus exemplis, conuenimus in hanc sedem. Simul, Charissimi Fratres, et ouiculæ Christi, victi-* *ma-*

Num. cap. 11. u. 16.

Matth. cap. 16. u. 13.

Apocalyp. cap. 8. u. 3.

maque destinatæ Altari æterno, scire debetis, hæc solennia studia, laboresque à Patribus antiquis non aliam ob causam, quam ad nostram vtilitatem fuisse institutos. Quod si tantoperè vos gestitis, vbi larga diuina manus ver aperuit, cuius adspectu spes tantummodo vestræ nutriuntur, salubresque calores, et pluuias opportunas læti adspicitis; quanta erit huius diei iucunditas, quo die copiosissimi, atque vberrimi fructus dantur, admirabilique serenitate supremi Cœli, et scaturigine felicium aquarū, et gratiæ cælestis appulsu, omnia fœcundantur, ac renident? Quantas vos agere gratias deberetis huic venerando, atque inclyto cœtui vtilitatis vestræ causa congregato? Hi sunt Lumina [a] Ecclesiæ, Salque [a] Mundi, et Oculi [b] terræ, et Speculatores [c] longè prospicientes, et Legati [d] cælestes, communesque [e] Patres, et diuinæ Gratiæ [f] Dispensatores, et seueri [g] Custodes Legum diuinarum; hi denique [h] Angeli, quos humana figura indutos ad vos mittit Deus. Quæ tanta munera, tantique fructus, et ex vestra præsertim, Reuerendissimi Patres, opera, tantæ vtilitates vt largißimè proueniant, humillima nunc prece, reuerenterque cæleste auxilium imploremus. Vos Angeli pacis, sacrique Custodes nostrarum mentium, qui populos, qui piorum cœtus, Ecclesiasque præsentia vestroque numine gubernatis, adeste, ac

fa-

[a] Epist. ad Philip. cap. 2. u. 15. & Matth. cap. 5. u. 14.
[b] Matth. cap. 5 u. 13.
[c] Matth. cap. 6. 2. 23.
[d] Ezech cap 3. u. 17.
[e] Epist. ad Ephes. cap. 6. u 20.
[f] 1. ad Thess. cap. 2. u 11.
[g] 1. ad Corinth. cap. 4 u. 1.
[h] 2. ad Timoth. cap. 4. u. 2.
[i] Apocal. cap. 2. u. 1.

fauete nobis, qui Custodes item animarum sumus, namque vestrum cæleste munus nos exequimur in terris ad communem vtilitatem, et vestram in hoc ipso munere vicem sustinemus: Patres, atque Pastores, et Sancti Pontifices, quorum lumine circumfulsere olim sedes illæ, quas postea nos accepe-runt, adeste nobis, vt ea, quæ olim inchoata per vos fuere, nostris laboribus, ac studijs absoluantur, quò certior via vestro gregi sit ad salutem: O magne Pater Ambrosi, lumen Insubriæ, et Italiæ decus, et multarum gentium Parens, adspice benigno lumine gregem hunc tuum: O Stella Maris, Terraque simul, et Sidus Orbis supremi, immitte tuæ lucis partem animis nostris: Demum, ò summa, et æterna Sapientia, Luxque vera, dissipa mortalem hanc nostram caliginem, accende pectora, gressusque nostros ad optatum finem flecte; Deus virtutum conuertere: respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.

Genesis cap. 17. v. 6.

Psal. 79. v. 15.

IN

IN

EODEM CONCILIO Prouinciali.

Post SANCTARVM RELIQVIARVM Translationem.

SACRI HVIVS CONSESSVS sedes sitne Cælum, an Terra.

CONCIO XXI.

NON satis meus explicat animus hoc tempore, fratres, Cæli, an Terræ nomine oporteat apellari locum hunc, in quo nos congregati nunc sumus, ac sedemus; vbi nimirum audita simul, et visa confundunt magnitudine sua quodammodo sensus nostros, incertoque iudicio suspendisse animos videntur. Extremas namque duas hasce partes vniuersitatis huius tam mirificè hodie miscuere inter se se spiritus, et gratia, earumque faciem ita mutauere, vt alteram ab altera dijudicare non possimus. Ac prope est, vt ita exclamem ego: quid habent Beatorum sedes, quod hic quoque hodie non conspi-

ſpiciatur? Sunt in Cælo Angelorum Chori, Sanctorumque ordines, lux, et ſplendor, et gloria, cantuſque, et honores, et triumphi, et beati cœtus, et æterna fœdera inuiolabilis amicitiæ. At habitant hìc etiam Angeli, qui licèt mortalium oculorum infirmam hanc aciem fugiant, adſunt tamen, placidoque lumine nos omnes intuentur, et cuſtodiunt, et ob aliquem etiam fortaſſe noſtrum, lætitia geſtiunt, ac triumphant. Quòdque non videmus eos, noſtra fit imbecillitate, non ipſorum vitio, ſicuti vitium eſt noſtrum, et excellentia Solis, quòd in ſplendidiſſimum illud iubar diù fixos tenere oculos nequeamus. Ita planè Sanctorum agmina non corporis exuuijs tantùm, et ea ſui parte, quæ mortalis fuit, ſed ſpiritu etiam nobiſcum hìc morantur. Neque enim credibile eſt, cùm aliena corpora præſenti numine ſeruent, ac tueantur, velle ipſos deſtituere membra hæc, et domicilia, quæ olim tenuere. An fortaſſe deſerent ea, proijcientque, et procul ablegabunt? Quinimmo, ſicuti veteranus, multiſque palmis, et victorijs onuſtus miles, poſt emerita militiæ annos, ſenecta, laboribuſque confectus, in paterno domicilio non inopem quietem agens, intuetur arma ea lætus, quæ ſibi gloriæ inſtrumentum fuere, teſtimonium virtutis, et ſocia laborum, eaque vult cuſtodiri, ac ſeruari: ita arbitror ego, Dei Sanctos intueri artus

tus; et reliquias hasce corporum suorum, quæ ipsis veluti armatura ad inueniendam gloriam fuere. Quòd si lucem, ac splendorem spectare velimus, nonne funalia hìc in conspectu nostro ardent, quasi sacrorum templorum sidera essent? Nonne quicquid in supremo Cælo splendet, ac lucet, æterna lampade ea illuminatur, de qua scriptum est, Et lucerna eius est Agnus? *Ac de suauitate cantus, laudumque celebritate, et sempiternis alijs bonis hoc dico. Sicut ars, sequendo vestigia naturæ, semper eam imitatur: ita Gratia, et spiritus semper gloriam imitantur diuinam, ac cælestem. Ac sicuti ars ipsa iudicia plerumque fallit, itaut naturæ videantur opera ea, quæ sunt artis: ita me ipsum fallit nunc hæc sancta imitatio, gloriæque cælestis effigies. Neque cuiusmodi negotium sit, dijudicare satis queo. Nunc verè experimur illud;* Ecce quàm bonum,& quàm iucundum,habitare fratres in vnum: *at in Cælo etiam similia sunt oblectamenta, cumulique deliciarum. Hìc præcipitur nobis illud;* Laudate Dominum in sanctis eius; *et* Cantate Domino canticum nouum: *illic laudes, et cantus audiuntur. Hìc,* Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius: *atque totum hoc simili quodam modo inter Cælestes illos Choros reperitur. Quòd si ea, quæ hactenus dicta*

Apocal.cap.21.u.25.

Psal.132.u.1.

Psal.150.u.5.

Psal.149.u.1.

Psal.95.u.6.

T *sunt,*

sunt, tantummodo consideranda essent, hæc sanè sacri huius Consessus veneranda sedes, in qua congregati nos sumus, terrestre Cælum, siue Terra cælestis appellari deberet. Sin autem ex altera parte rem consideremus, manifestè videbimus, Terram hanc esse, non Cælum. Querelæ, gemitus, et suspiria, lacrymæque, et mœrores, et dolores, et iniuriæ, pœnæque, et culpæ, et tot rerum iniquitates fidem faciunt, nihil aliud esse hunc locum, quàm Terram. Penetrant ad aures vsque meas
Psal.68.n.2. *suspiria sic tacitè exclamantium;* Infixus sum in limo prufundi *mearum culparum*, & non est substantia: *sentio mœstas aliorum voces, dicentiū*
Ibid. n.3. *intimo animi sensu;* Veni in altitudinem maris, *propter tentationum æstum, quæ nos tanto impetu inuasere, vt ferè nobis impendeat vltimum vitæ discrimen: audio querelas, et gemitus sic exclaman-*
Ibid n.4. *tis;* Laboraui clamans. *Lacrymæ siquidem, et lamenta iam exedere cor meum, nec suppetit vltra liquor oculis, vt lacrymari possim. Video alium in huius Ecclesiæ angulo plangentem sibi*
Psal.6.n.1. *pectus, atque ita exclamantem;* Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. *Hic miserias explicans suas, Misericordiamque diuinam implorans, timorem suum iustum ostendit. An igitur hanc sedem appellare Paradisum debemus? Sed iam tempus est dissoluendæ quæs-*

quæstionis; videor enim audire vos id à me tacitè placidèque rogantes. Eritne Cælum igitur locus iste, in quo moramur nunc, an Terra? Vtrumque erit ad beneficium nostrum, diuino spiritu, et virtute miscente sic Cælum, et Terras. Hic igitur, et Cælum, et Terra est. Ibi Cælum, vbi Angelorum Chori, et Sanctorum agmina, et tot mirifica res. Ibi Terra, vbi fons lacrymarum, et perpetua dolorum scaturigo. Neque verò nouum hoc nunc fit, vt Cælum, et Terra sic misceantur; nam gloria Domini per nubem sese ostendit olim; Exodi cap. 16. u. 10. *eiusque luce squalidæ solitudines illustratæ sunt ad Cæli prope similitudinem; montiumque summa nō solum inseruere caput Cælo, sed Cælum prope ipsum effecta sunt, sicuti verba illa declarant;* Descenditquè Dominus super montem Synai Exodi cap. 19. u. 20. in ipso montis vertice. *Atque illustriore etiam exemplo, et aptiore ad locum, in quo moramur, exemplo nempe opulentißimi alterius Templi, ostendam vobis, interdum inclinatum esse Cælum, Terram versus;* Impleuerat enim gloria Domini 3. Regum, cap. 8. u. 11. domum Domini; Tunc ait Salomon: Dominus dixit vt habitaret in nebula. *Animaduertite quæso, auditores, atque considerate mecum vnà, quàm vberes fructus ex hac Cæli, Terræque mistura percipi poßint. Ac volo nunc ego partem aliquam eiusmodi fructuum indicare, et ostende-*

re vobis. Est aliquis fortasse vestrum coopertus peccatorum labe, scatetque lacrymis, et arumnis, et terra mera est? En Paradisus, en corpora Martyrum, et Confessorum, quorum adspectu solari potes animum tuum, et orare hic, vt pro te fundant preces. Leniant cantus amaritudinem animi, diuinaque laudes turbatam tuam mentem tranquillent; portusque hic demum tibi sit aduersus arumnosa vita calamitates. Atque alloquens ego singulos, qui hic adsunt, orationemque meam accommodans vniuscuiusque conditioni, sic dicam: Reuerendissimi Patres, adspicite Patriarchas nostros. Sacerdotes, adspicite Pastorum nostrorum coronam. Nobiles, videte illos, qui regnauere cum Christo. Magistratus, intuemini Iudices Orbis terrarum. Pauperes, en vobis thesauri. Diuites, en vobis securitas opum. Iuuenes, en vobis Parentum charitatem. Senes, en prasidium, et quietem. Docti, en sapientiam. Indocti, en Magistros. Virgines, en stolas albas. Coniuges, en castos. Ac denique; Laudate Dominum omnes

Psal.116.u.1.

Psal.150.u.1.

Gentes: laudate eum omnes populi: *et* Laudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius. ***Atque nobiscum nunc Calum, et Stella Sacrosanctum Dei nomen extollant. Sed dum ego dulcedine argumenti huius abducor, fugit hora, iamque dies adest, quo discedere***

hinc

hinc atque vestras abire domos voletis, Reuerendissimi Patres. Verùm, hoc temporis momento quidnam potissimum vobiscum agam? An fortasse de Pastorali vigilantia? An de animarum pondere? An de graui Episcoporum officio? De ardore, ac prudentia, scientiaque, vel sapientia potius; quæ ad id requiritur, ac necessaria est? Vtiles sanè loci, aptaque consessui huic argumenta essent; sed temporis angustiæ non patiuntur. Conferens igitur in pauca rem omnem, et quasi ex herbarum aceruo modicum succum colligens, quē pectoribus vestris instillem, peto supplex à vobis, Reuerendissimi Patres, vt custodire velitis præcepta, et leges, quæque continentur pretiosis illis Pastoris nostri monumentis, cuius amplificare gloriam studetis; eaque monumenta infixa in animo vestro habeatis semper. Ac liceat nobis verba illa diuinæ legis hic accommodare, quatenus magna illa conferri paruis hisce nostris possunt; Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ. *Ac nos quoque gloriari poterimus in hunc modum;* Deuter. cap. 6. u. 6. & seq.

Quæ

Deut. cap.4.u.8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustáque iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros. *Leges istæ sanctæ renouatam exhibent antiquam disciplinam, perfectamque sacerdotum imaginem; et Ecclesiasticæ Hierarchiæ status constituitur idoneis legibus, quæ veræ prudentiæ spiritus, et charitatis exemplum sunt, nec vsquam alibi charitas, et spiritus, studiumque diuinarum rerum expressa melius cernuntur. Quòd si patrum idoneæ meæ preces sunt ad impetrandum, impetret saltem hæc vndique circumfusa corona tanti populi, qui humiliter petit à vobis id ipsum, suæ, et alienæ salutis causa. Sed vtinam ita per nos satisfieri posset officio nostro, Grex amplißime, atque numerosißime, sicuti per grauißimos istos viros officio suo satisfiet. Quid igitur tandem facere poterimus, vt grati, et amici animi signum à nobis hinc aliquod auferant? Nullarum humanarum rerum indiga est ipsorum conditio; non laudes, aut dona, honoresve quærunt, etiamsi offerre maximos possemus. Nam sicuti à palato nostro, si vitium absit, sentiuntur illico sapores iucundi, siue praui: ita benè affecta anima, quæ sensus suos integros habeat, res humanas omnes horret, earumque commercium fugit, ac ne sustinere quidem adspectum earum potest. Quid igitur fiet?*

Im-

Imploremus Sanctorum auxilium, vt Pastoribus hisce satisfacere possimus. Inuocemus Cælestes illas opes, et gratiam, et amorem, et promissa Cælestium istarum animarum. O victimæ, Aræque, et Sacerdotes, et Martyres, et Virgines, et Confessores, quorũ membra viua simul, et mortua hic iacent ante oculos nostros, quorum cineres ardent hic in animis nostris, et simul sublato in Cælum igne, subsedere, ibique tantùm splendor nitet, cumulate bona omnia in Pastores hosce nostros, illosque beate, et reducite incolumes ad Ecclesiarum suarum domicilia, vnde sunt huc profecti, ibique Angelorum instar accipiantur. Sint Greges ipsorum fœcundi, et læti, ac demum ab spiritualibus humanis pascuis ad cælestia pascua felices traducantur. Verùm, in discessu vestro quæ tandem dona relinquetis nobis, ceù signa beneuolentiæ, gratasque significationes hospitij religiosi? Facti sumus auidi vestrarum opum, Reuerendissimi Patres, nimisque proiecti sumus ad audendum in hoc vestri discessus tempore; neque dubito, quin largè concedatis id, quod postulamus. Nam si ego peterem à vobis argentum, aut aurum, aut pretiosas margaritas, aut alia eiusmodi mortalium vota, parùm sanè peterem. Peto igitur amplissimum vestri animi thesaurum, fructumque sacri vestri oris, preces nempe, quibus impetretis

à

à Deo misericordiarum Patre, vt afflictam
hanc meam quassatamque nauiculam
in portum æternæ salutis
deducat.

PRI-

PRIMA DIE Synodus

ANNI M.DC.XI.

DE VTILITATE EXEMPLORVM, ac de Sancti Caroli exemplo.

CONCIO XXII.

T*EMPVS iam belli fuit; et nunc tempus pacis est: tempus iam lacrymarum, et nunc lætitiæ tempus: tempus silentij per superius biennium, nunc sermonis est tempus, venerandi sacerdotes. Meritò igitur inter cætera præclara documenta, sapientissimus ille Regum scriptum illud reliquit;* Omnia tempus habent. *Potuere multi* Ecclesiastis cap.3. u. 1.
vestrum intueri maiorum Pastorum cœtum, et hasce sedes cohonestatas ab ijs, qui Ecclesiarum Angeli dicuntur, linguamque meam grauiore Apocalyp. cap.2. u. 1.
tunc argumento occupatam. Postea, succedente primis laboribus noua laborum occupatione, læta, et magna actio, eaque maxima omnium, labori nos-

tro finis fuit: de qua quidem actione vos, etiam tacente me, coniecturam facere potestis; sed ego quo-
Ioan. cap. 12. u. 24. *que cuiusmodi ea fuerit, explicabo. Pretiosum illud frumenti granum, quod multos ab hinc annos deciderat, vberrima, et copiosissima segete germinabat fauore cælesti, sicuti notum omnibus*
A Matth. cap. 5. u. 15. *fuit: lampasque* [A] *illa posita super candelabrum lucebat lumine clariore, quàm superioribus tempo-*
B Ibid. u. 14. *ribus: ciuitasque* [B] *in montis vertice pulchrior so-*
C Ezech. cap. 37. u. 7. *lito erat: et arida* [C] *ossa spiritus imbre fœcundabantur, gloriosaque sepulchra apparebant. Peregrinandum itaque nobis fuit ad sancta Vrbis limina, Sanctuariumque Dei, et Montem Sion, et Templum; ibique sacrificia admiranda, et hostias vidimus, et consecrata ibi victima spiritualis fuit;*
1. Paralip. cap. 15. u. 15. *ac denique retulimus Arcam Dei cum gloria, et planè triumphantes in Patriam reuecti sumus. Sed cuiusmodi tandem hic est triumphus, charissimi fratres, quive honor, et gloria? Veteres Hebræi fecere nomina rebus, prout virtus, et vis rerum ipsarum esset; atque ideo, vno eodemque nomine appellauere honorem, et pondus. Quale igitur onus, et qualis honor incubuit humeris nostris? Qui vir, quive Pastor Carolus fuit, et quanta admiratione dignus? Adsis nunc cælestis Anima, orationemque meam hanc tibi dicatã accipe. An ego nunc tempora tua cingam viridi lau-*

dum

dum tuarum fronde? Sed ampliora temporis ſpatia expectat mea lingua, vt muneri huic cumulatè magis ſatisfacere poßit: neque tam breuis horæ ſpatio contenta eſt. Nunc dicā tantùm, fratres, quàm vberes fructus percipere poßimus ex illius exemplo, qui diuino nutu per multos annos ante oculos noſtros fuit, vt ipſius veſtigia perfectè ſequeremur. Difficilè mihi eſſet oſtendere, quanta ſit apud animum humanum exemplorum vis, ſiue ea bona ſint, ſiue praua. Nam cùm obnoxia ferme ſenſibus ſit hominum natura, parſque ea in homine magis dominetur, imperiumque ſenſuum rationis ductu potentius ſit, exempla ſenſus magis mouent, ſuntque efficaciora ad mentem erudiendam, quàm nuda momenta rationum. Exempla inſuper magis ſunt affinia mortalitati noſtræ, ideoque plus fidei habetur illis, quomodo ſeruis etiam, ac domeſticis, quàm externis, domini credere libentiùs amant. Rationes, et argumenta petuntur ex longinquo, et velut peregrina res ad animum noſtrum accedunt: exemplum autem perpetuum quoddam, naturaleque commercium habet cum animo noſtro, et velati vicinitate, atque amicitia quadā perſuadendi vim habet; itaut rectè veterum Philoſophorum ſummus dixerit, quodlibet exemplum, velut obſidem aliquem eſſe noſtræ orationis. Atque ideo, vbi exempla defuere, ſapien- Plato Dial. de Scientia.

 tißimi

tißimi hieroglyphicas notas instituerunt, ut ea loco exemplorum essent. Deusque ipse, cùm legum, et caeremoniarum praecepta dare inciperet, sub exempli, siue hieroglyphici forma primum praeceptum dare voluit. Volebat Deus seuera sancire lege, ne quis alterum occideret, humanique sanguinis sitim tollere penitus ex hominum vita; vtque ea lex altè descenderet in animos, exemplum sumpsit ex potu, ciboque sanguinis bestiarum. Praecepti autem huius veriorem hanc fuisse causam, et ratione Chrysostomus,[A] et Vgo[B] à Sancto Victore, et Vgo[C] Cardinalis, et Eucherius,[D] et[E] Rupertus commentantur. Atque etiam dicere possumus, exemplum simile esse speculo, cuius nitor similem ori tuo faciem ostendit, formamque, et colores, et habitum, ac motus omnes tuos ibi contemplaris, ac fermè te ibi alterum vides. Momenta verò exempli ad persuadendum magis valent, quàm momenta rationum; differuntque ab illis ad eum planè modum, quo in repraesentando differt expressa coloribus effigies ab imagine ea, quae speculi obiectu efficitur. Ac sicuti praesentia magis, quàm praeterita, mouent animum: ita exempla multò magis mouent, quàm rationes; illa siquidem veluti res praesentes sunt, hae verò veluti praeteritae res, aut futurae. Videtisne discrimen generis vtriusque? Posset illud quoque dici, homines

Genesis cap. 4. u. 4. & 5.

[A] Chrysost. Homil. 27. in cap. 9. Genesis.
[B] Vgo à S. Victore. ibid
[C] Vgo Card ibid.
[D] Eucherius. ibid.
[E] Rupertus. ibid.

nes

nes esse fermè omnes acri oculorum acie, auribus verò tardis, et obtusis; atque ideo, quæ exemplo ante oculos obuersantur, facilè videntur, quæ verò ratione ad aures accedunt, tardè percipiuntur. Denique tam accommodata, et ad sensus nostros apta sunt exempla, vt fermè efficiant simile quiddam, quod Eliseus fecit, cùm ille, nectens pedibus pedes, manibusque manus, exanimem puerum ad vitã reuocauit. Talia ferè cernuntur miracula, cùm nos, proposito aliquo exemplo, salutare aliquid imitari studemus. Intuemini nunc, auditores, quàm salutare nobis esse poßit exemplum Sanctißimi nostri Patris, et quantæ inde manare vtilitates poßint. Nonne Eliseus ipse est, qui admirabili sua virtute reuocare nos ad vitam potest? Non ille mortuus iacet, sed spirat, et viuit: et quia viuit, efficere potest, vt ipsi quoque vitam, quæ erat amißa, recuperemus. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, *inquit Ecclesiasticus, de patribus illis loquens, qui morientes ipsi, rectè institutam, educatamque prolem relinquunt. At noster hic tandiu nobiscum fuit, tantaque nobis in maximis, amplissimisque rebus exempla dedit, vt ipsius vitæ imaginem effingeret Christianæ perfectionis. Dum verò Diœcesim perlustraret, quæ felicitas populis ijs, quibus tam præclara documenta et verbo reliquit, et actioni-*

4 Regum, cap. 4. u. 34.

Ecclesiastici cap. 30. u. 4.

bus

2.Regum, cap.1. u.21. *bus suis?* Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortium. *Hac mœstissima verba prolata fuere, vt omnes detestarentur ea loca, in quibus calamitates et damna illata fuerant Israelitis, eorumque internecionis vestigia apparebant. At nos longè diuersa oratione sic exclamare debemus. Inclyti montes, et valles gloriosæ, sacrique tramites, in quibus Pontificis Caroli impressa vestigia adhuc cernuntur, impetrataque victoria è Cælo fuerunt aduersùs hostes æternos, vos inquam, benedictione omni completi estote; et cælestes rores diuinarum, humanarumque benedictionum copiosissimè super vos pluant. De tectis autem, domiciliisque vestris, et tuguriis, quæ Dei Seruum accepere, iure ego dicere possem* Num.cap.24.u.5. *illud*; Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel. *Quàm augusta species tuguriis illis, in quibus sacrum illud absque carne corpus hospitabatur, et sine corpore anima! Vbi vigiliæ decorabant noctes; vbi ieiunæ mensæ erant: vbi pro somno silentium, et quies: vbi immobiles esse linguæ videbantur, cùm alioqui attentæ manus ad opera pietatis, et misericordiæ essent: vbi modestia imperitabat: vbi charitas teneritudoque animi erga gregem, seueræ disciplinæ vestem et imaginem solummodò induerat: vbi denique*

splen-

ſplendore purpuræ, paupertas illuſtrabatur. Nulla tam depreſſa vallis erat, quò non deſcenderet humilitas illius: nulla tam obſcura gens, ad quam ipſius manſuetudo non accederet; nullum tam ardui aſcenſus cacumen, quò non ſpiritus ipſius euolaret, traheretque corpus ſecum. Væ nobis, ſacerdotes, væ paſtores animarum. Neſcio ego, an iuſtè dicere poſſim; Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. Ezechielis cap. 24. u. 12. *Rore ſudorum Caroli non potuit fæcundari ſterilitas obſtinata nonnullorum. Æruginoſa iſta ferramenta minimè nitent aſſiduitate ſolicitudinum, et operum ipſius, ſed abſumuntur malitia ſua, quam flammæ charitatis, quæ fuit in Dei Seruo, et ille ardens caminus conſumere non potuerunt. Verùm, nonne viget adhuc hic ante oculos noſtros exemplar? Nonne viuit adhuc?* Mortuus eſt pater, & non eſt mortuus. *Oſſaque Iacobi, vnde tanta ad nos vtilitas manauit, diligenter cuſtodiuimus.* Geneſis cap. 50. u. 12. *Grata fuit magno Patri pietas filiorum, qui oſſa, vnde ipſi vitam acceperant, collegere; neque ea vnquam, vel temporum interuallo, vel caſuum varietate, vel mutatione ſoli, ab ſe remoueri paſſi ſunt. Talia fuerunt adhuc ſtudia noſtra, chariſſimi, mortuoſque artus cuſtodiuimus, et aliqua mortalis vitæ effigies adhuc non ſine miraculo cuſtoditur. Pergamus*

itaque,

itaque, sacerdotes, pergamus reuerenter et piè ad tumulum illum, quem tot lumina circumstant. Eamus ad Patrem, filij: ite ad Pastorem, ouiculæ: ite ad flumen, riui; ad flumen, inquam, quod tantam vim Cælestium aquarum vehit. Patent vobis viæ omnes, neque clausus aditus vllus est tantæ pietati. Ibi veneramini quem tantopere amastis: postulate ab eo, cum quo familiaris vobis vsus fuit; et auferte diuitias ex Arca cælesti. Contemplamini membra, quæ fuere spiritus templum, quæ fessa sæpe vidistis, quæ sustinendis vestra causa laboribus, nullam nisi in morte quietem inuenerunt. Denique, ne graue vobis sit, pro nobis etiam preces fundere, qui vmbra illius sumus.

SE-

SECVNDA DIE
Synodus eiuſdem.

DE ECCLESIASTICA Diſciplina, et Concordia.

CONCIO XXIII.

IN filijs ſuis agnoſcitur vir, *inquit ille, cuius inclyta ſapientia inter mortales fuit. Nos verò quid tandem dicemus de filijs illis, qui penitus à parente ſuo degenerauere? Id vtique pertinet ad Beati noſtri Pontificis nomen, et famam, ſacerdotes. Sanctus erat Eliſeus, peruerſus verò Giezi, iſque domini ſui gloriæ inſidiabatur, et ideo meritus eſt, vt lepra cooperiretur. Pro dolor! Vereor enim, ne ſimiles reperiamur naturæ atque, conditioni piſciũ, qui cùm inter ſalſas illas vndas aſſiduè degant, tamen indigent ſale, vt ſaporem aliquem adipiſcantur, ſicuti affirmat Clemẽs Alexandrinus. Sacra illa diſciplina, cuius ipſe, dum viueret, et oculus, et manus fuit, quantopere à nonnullis traditur obliuioni? Hoc ſale ſeruantur incorruptæ res: hoc amaro ſapore, ſicuti idem Clemens Alexandrinus in Protreptico ait, vires*

Eccleſiaſtici cap. 11.u.30.

4 Regum, cap.5. u. 27.

Clem. Alexandr. lib.1. Strom.

Clem. Alexandr. in Protrep.

roburque stomacho adduntur: hoc cortice tegitur, atque occultatur pretiosi sapporis medulla: hac cultura subigitur ager, sterilitasque omnis vincitur. Hæc insuper disciplina videtur mihi et terra, et arena, et litus esse, cuius obiectu mare coercetur intra suos fines, ne immoderatè vagari poßit. Scimus, liquidorum corporum eam esse conditionem et naturam, vt superficie opus habeant solida, et firma, cuius vinculo contineantur. Hominum natura propter peccati labem, nihil firmi habet, neque suis ipsa viribus niti atque hærere potest; ideoque necesse est, vt eiusmodi munimentis cingatur: quod vbi fit, sapienter, ac prouidè necesßitati obuiam itur. Et sicut in re militari nimius impetus cohibetur eius disciplinæ legibus intra certos fines, extra quos exire non poßit, vt sic nimirum et timiditas incitamenta sua habeat, et temeritas frenos: ita affectus nostri contumaces ab hac Ecclesiastica disciplina temperantur, vt neque insolenter efferant se se, neque otiosè torpeant, atque languescant. Ac de cælesti hac disciplina memini ego, sacerdotes, multos à me habitos esse sermones ex hoc loco. Multa præcepta vobis edidimus, acriter increpauimus, ac fortasse etiam perculimus aliquorum animos. De contumaci ad leges, et ad hortamenta populo sic Moyses lamentabatur; Ecce filij Israel non audiunt me: & quomodo audiet Pharao?

Exodi cap. 6. n. 12.

Quæ-

Quenam erit disciplina populi, si talis est disciplina sacerdotum? Caterùm, cùm lætitia tempus hoc sit, cauendum mihi est, ne turbare animi vestri pacem videar, neve diei huius serenitatem offuscare, quam tumuli huius tenebræ augent splendore suo, atque illuminant. Satis habebo monuisse vos eo dicto, quo veteris sapientiæ Princeps gregales suos monuit, cùm ita diceret; Te ipsum reuerere. *Actionibus nempe honestis, quæ famam tuam minimè lædant, animamque, et corpus à fœditate vitiorum abducant. Tanta est, reuerendi sacerdotes, ac tam latè diffusa per omnes Christiani Orbis fines fama Sancti vestri Pontificis Caroli, vt nos quoque, licèt obscuri, partem inde splendoris accipiamus. At si quid per nos humiliter nimis, prauèque fiat, ac dicatur, laudes, et alta ipsius merita aliqua ex parte diminuuntur. Cùm Eliseus Assyriorum exercitum prudentia sua debellasset, famaque victoriæ ipsius latè circumferretur, Rex Israelitarum ex Propheta familiaribus vnum ita compellauit;* Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliseus. *Isque ordine cuncta referebat. Videor mihi videre barbaras etiam gentes, et non solùm nostrates hosce petentes à vobis, vt inclyta Pontificis nostri facta, tanquam alterius Elisei recenseatis. Et quamuis aliqui iam laudabiliter imitati bonum illum Prophetæ fami-*

Pythag. in Carm. aureis.

4. Regum, cap. 8. n. 4.

liarem, subiecerint oculis nostris res ipsius mirificas: video tamen, vos sacerdotes optimè omnium posse, rectè agendo, per totum ferè terrarum Orbem egregias ipsius laudes, et facta ipsius præclara circumferre. Sed quàm multi sunt in hoc numero, quorum in hoc genere officium desideratur? Te ipsum reuerere, *sacerdos, et tanti Doctoris discipule, tantique Parentis proles. Id minimè faciunt ij, qui cùm ipsi sacerdotes sint, et fortasse etiam in eodem munere constituti, carpere sacerdotum aliorum famam, et dignitatem conantur. Magna hæc est in Deum ipsum iniuria, sacerdotes. Atque huc pertinet sensus verborum, quæ protulit Deus,*

1.Regum, cap. 8. u.6.& 7. *cùm populus, repudiato Samuele, tanquam imperij illius minimè digno, Regem alium postularet. Tunc enim sic dixit Deus. Non te, sed me populus iste adspernatur; vultque talibus postulatis persuadere simplicibus, malè hoc ipsum esse institutum, quòd te Ministrum meum asciuerim: idque fit non sine summo mei nominis dedecore. Hoc insuper peccatum in gratia Mundo veluti monstrum est, sicuti monstruosum esset, si quod eiusmodi corpus existeret, cuius manus, aut brachiũ, aut pes capiti nocere conaretur. Ac Sanctus Paulus*

Ad Ephes. cap.4. u. 4. *multis locis comparat officia charitatis cum mutuo membrorum officio. Quod si verè dicitur de Christianorum omnium cœtu, quantò id veriùs de*

cœtu

cœtu sacerdotum dicetur? Dissidium hoc, et schisma quoddam est, quod inter sacros homines exoriri consueuit; schismatisque nomine appellatur ab Apostolo discordia membrorum; Vt non sit schisma in corpore. *Vbi autem pax, et concordia sedit, quàm decorus status est Ecclesiasticæ communitatis? Magni, veterisque Philosophi dictum est, si qua ciuitas inueniretur eiusmodi, in qua ciues perfectè concordes agerent, ciuitatem eam fore qualibet hostium vi insuperabilem. Hanc armati exercitus perhorrescerent, machinæque militares languidæ aduersùs eam, inutilesque reperirentur; essent enim ciues illi armis tecti, quæ nulla vis vincere posset. Atque ita, quantum vtilitatis, non solum ad animi fructum, sed etiam ad vitæ commoda proficisceretur? Ideo Templi conditores versabantur in illo opere, sicuti Esdras ait,* Quasi vir vnus, *ob mirificam concordiam, quæ sola ruinas illas maximas resarcire poterat. Templum item illud cùm primùm ædificaretur, nullus mallei strepitus audiebatur. At nunc per templa, non minùs augusta, et sancta, contumeliosæ voces, tantique tumultus audientur; et altare contra altare aliud insurget, ac fieri poterit, vt vnà simul contendant? At de spirituali ædificio bonis temporibus hæc dicuntur;* Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. *Hæc*

1. ad Corinth. cap. 12. u. 25.

Plato Dial. 3. de Legibus, & in Conuiuio.

1. Esdras, cap. 3. u. 9.
3. Regum, cap. 6. u. 7.

Act. cap. 4. u. 32.

erat

erat gloria summa pacis, quæ in terris esset: at eam tamen discordia paulò post subsecuta est. Sed cur malum id in Ecclesia fuisse coortum putatis, fratres charissimi? Ob auaritiam exortum est.

Act. cap. 5. n. 1. *Ananias, et Saphira tranquillum illud primorum Christianorum mare turbine hoc agitare cœperunt. Sic etiam sacerdotes habendi cupidine, seque, et alios turbant. Hac fames illa est, ob quam sacerdos sacerdoti alteri litem indicit. Neque verò possent defensionem afferre aliam, quàm sacerdotium illud esse suum, ideoque arcendam eorum temeritatem, qui occupare iniustè id conentur. Atqui non sic Abrahamus cum fratre Lot egit; nam cum accepisset à Deo terram, quam tunc calcabat, essetque non hominum iudicio, sed diuino munere dominus constitutus, non tamen ideo cum eo litem suscepit, sed æterna memoria dignũ*

Genesis cap. 13. n. 9. *illud pronuntiauit;* Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. *Non propria vtilitas illum abduxit ab æquitate animi sui; non possessionis ius valuit, quo iure spatiosos illos campos ante fratrem teneret, sed valuit charitas. Dum sacerdotes modica vtilitatis causa in aliorum conspectu minuunt alterius famam, non intelligunt, magni se boni iacturam facere, dedecusque ingens adipisci. Prima tua est ignominia; tuque primus lin-*

lingua tua vulnere ictus concidisti. Conditionis tua dignitatem conculcas, atque in alio te ipsum contemnis: neque ineptias huiusmodi vides? Ac denique obtrectationes alia, qua versantur inter homines, ex hac vna videntur exemplum sumpsisse, cum ea scilicet prima linguas hominum occuparit, primaque temerè aures percusserit: nam Adami verba hac fuere; Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Genesis cap. 3. u. 12. *Ea fuit obtrectatio aduersus fidam comitem, adiutricemque vita, qua in Paradiso agebatur; qui quidem Paradisus, tum dignitate loci, tum ob causam, qua creatus fuerat, Templi instar verè fuit. Ob deformitatem igitur culpa huius, qua opprimit cuncta anima bona, nefas erit Sancti Caroli filios appellari homines illos, qui prauè sic agũt, temerèque loquuntur, neque vnquam emendationis signa vlla dedere.* Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? Deuter. cap. 32. u. 6. *Non tu igitur legitima proles. Si vetera repeterentur, proculdubio mores isti improbi tollerentur.* Memento dierum antiquorum, *facilèque intelliges, quàm malè tui mores conueniant ad mores illos antiquos, qui puri fuerunt, et sancti.* Ibid. u. 7. Obliti enim estis Deum, *inquit Prophetarum vnus*, qui nutriuit vos, & contristastis nutricem vestram Ierusalem. Baruch cap. 4. u. 8. *Tam breui igitur spatio tantarum rerũ me-*

memoria dilapsa est? Itaque Ecclesia hæc, nostra nutrix, plena doloris et amaritudinis suspirat ob vestra ista mala. Tollatur iam tandem peruersa hæc vestri sermonis consuetudo, statuatque vnusquisque non amplius ad eadem saxa sibi esse adhærescendum, atque ita contestetur; Psal. 136. u. 5. Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. *Nunquam fiet, vt obliuiscar ego sacerdotalis meæ conditionis, nec ætatis primæ, nec veterum Pastorum, ac præcipuè Sanctissimi Caroli, qui Dux, Magisterque meus est. Nunquam fiet, vt altaris minister ego, sacrarumque rerum custos, indignus tanto munere penitus reperiar. Maiestatem Ierosolymitani Templi semper ante oculos habebo: ea speculum mihi, et exemplar erit. Rerum spiritualium curam industria nostra omnis inposterum spectabit: eòque etiam tendet nostrum omne studium, vt Ecclesiarum nostrarum splendor, quoad per nos fieri poßit, conseruetur, atque augeatur. Talia verba pronuntiantem vnumquemque vestrum, intimoque sensu, et tacita voluntate promittentem, mihi visus sum audire; atque promissa hæc vestra tantò libentiùs, ac prolixè magis accipio, quia sentire iam videor, nutu diuino opeque cælesti, verba mea medicinam fuisse malo, quod voces et verba summo vestrum omnium damno, et dedecore in vobis alebant.*

TER-

TERTIA DIE
Synodus eiuſdem.

DE PRÆCIPVIS VIRTVTIBVS, quibus præditos eſſe ſacerdotes oportet.

CONCIO XXIV.

OBSECRO itaque vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate. *Magnanimus Apoſtolus obſecrat, chariſsimi fratres. At quis veſtrum ei obſecranti gratificari abnuet? Obſecrat ille, cuius linguam Angeli ſemper audiuere. Paulus obſecrat, nempe ille, cui vniuerſi Orbis imperium debebatur. Sed quibus tandem modis obſecrat ille ac petit? Nunquam vlla leniora verba ex pectore humano prodibunt. Nulla vnquam lyra ſuauiùs canet, erudietve, quàm Pauli preces erudiunt.* Obſecro itaque vos. *Sunt hæ preces inter fructus humilitatis, eaſque humilis Apoſtoli ſpiritus, non alia humana cauſa, fundebat. Quiſquis ob-*

Ad Epheſ. cap. 4. u. 1.

secrat, abijcit se se, et abiecta sunt preces: atque ideo sæpe pretium iustum sunt eius rei, quam obsecrans impetrauit, iustaque donatori merces sunt. At quàm difficulter ea pronuntiantur? Humilitas deinde ista oriebatur ex charitate, cuius præcipua vis est ad hominum animos inflectendos, atque deprimendos. Itaque legitur; Charitas patiens est, benigna est, *ac deinde cætera pari mansuetudine, ac lenitate. Obsecrat ille, cui nihil humanarum rerum desiderandum fuit, quique profiteri solebat, nemini se fuisse molestum;* Ad ea, quę mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ: *at nunc charitas egenum eum ita facit, vt postulatis suis alios fatiget. Quod quidem charitatis onus tantopere premebat diuinum illud cor Apostoli, vt vim lacrymarum exprimeret: audiunturque talia;* Nocte & die non cessaui, cum lacrymis monens vnumquemque vestrum. *Tu igitur ploras, Paule, qui constantiæ simulachrum geris? Vbi nunc instituta tua antiqua plena grauitatis, et maiestatis? Quomodo verba illa,* Viuo autem, iam non ego, *et* Nostra conuersatio in Cælis est, *cum lacrymis et planctu iunguntur? Iam ibi, ò Paule, nulla lacrymæ sparguntur: tributumque hoc terris, non Cælo mortalium oculi ferunt. Attamen apparet, consuetas leges vi charitatis esse immutatas, Apostolique*

1. ad Corinth. cap. 13. u. 4.

Act. cap. 20. u. 34.

Ibid u. 31.

Ad Galat. cap. 2. u. 20.

Ad Philip. cap. 3. u. 20.

toliqùe cor eadem vi domitum et ſubactum, itaut charitatis ipſius arbitrio in omnes partes flectatur. Talem eſſe Epiſcopum oportet, taleſque vos debetis eſſe, paſtores animarum. Nulla veſtra vtilitas, nulla rerum humanarum cura vos moueat; ſed moueat eorum cura, quos gubernandos ſuſcepiſtis, quorum cauſa iuſtum eſt quacunque incommoda ſuſtinere. Præterea, ſint humiles veſtrum omnium animi, manſuetique ſemper: charitas iniĳciat illis frænum, vndaſque procelloſas, et mare ſuperbum, ac tumidum tranquillet ac ſedet. Sed quis tandem obſecrat? Ego, *inquit Gentium Magiſter*. Ego, *quem vos optimè nouiſtis*. Ego, *qui veſtra cauſa tantos labores exantlaui*. Ego, *qui poteſtatem in vos accepi è Cælo, qui dux veſter, et lex viua morum veſtrorum, interpreſque diuinæ voluntatis ſum conſtitutus, hæc à vobis peto. Vocis huius compendio, fratres, continetur virtus et vis illa, quæ mirificarum rerum actiones elicere poteſt; hinc maximus animarum fructus exiſtit. Ea vox,* Ego, *fons et origo eſt innumerabilium bonorum, et malorum.* Ego *magiſter animarum, ſi negligens, diſſolutuſque, et auarus, et indoctus ero, quantas ruinas, quantamve animarum ſtragem mecum feram?* Ego *paſtor gregis, ſi ſolicitus, et ſapiens, miſericorſque, et manſuetus fuero, quantos ad alienam ſalutem fructus*

 feram?

feram? Vox eadem Ego, *tantos Apostolo honores, amoresque fidelium tulit, qui ita in eum conuerterant oculos, vt de eorum charitate et amore sic ipsemet loquatur*; Si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. *Ego, inquit Paulus, appello vos, et postulo, vt me exaudiatis ob eam quoque causam, quia catenis vinctus et obstrictus appello vos, et imploro. Nihil vnquam in rebus humanis admirabilius fuit, quàm vincula Apostoli fuere. Quæ sane vincula partim cernebantur oculis, partim verò non cernebantur: partim ad animum pertinebant, ex parte corpus attingebant: terrestria erant, et cælestia: humana simul, et diuina: nec minùs adstringebant animam ea, quæ ab oculorum sensu remota erant, quàm corpus ipsum ea, quæ cernebantur. Catenarum visibilium moles erant testimonia, quæ verbis ipsius fidem adstruebant: inde sermo ipsius vim, ac robur sumebat. Et quid tandem catenæ ipsæ non impetraßent? Adamantes profectò domuißent ipsos. Persuadebat Apostolus, impetrabatque, et vnà cum ipso catenæ persuadebant, atque impetrabant. Romæ fuit olim inclytus Orator, qui dum circumfusæ multitudini persuadere vellet, dixit poße multos se obsides veri dare, fidem nempe suam spectatam, præteritos suos, et præsentes honores, famam, labores, quarum rerum*

Ad Galat. cap. 4. u. 15.

rum

rum iacturam omnem quantalibet alia iactura redimere paratus esset. Sed leuissima ea pignora fidei erant, si cum Apostoli catenis compararentur. Sed alia insuper catena Paulum adstringebat, amoris nempe: nec ferrum tantum, et compedes adstringebant, sed charitas, et ardor spiritus, quo vinculorum ipsorum dolor obstupefactus tenebatur. Infirmæ sunt Ecclesiasticæ leges, angusti pœnarũ termini, vana iudicum industria, nisi sacerdotes ipsos, et pastores animarum præsertim, catenæ adstringant, quæ firmitate, ac robore cæteras antecedunt. His ego circumdatos vos esse cuperem, tamque felici carcere vos omnes esse inclusos. Sed præter amoris catenam, alia etiam erat Pastoralis officij catena, de qua ipse locutus est hisce verbis; Legatione fungor in catena. *Duæ hic catenæ erant, ferri nimirum vna, altera vero diuini præcepti, et vtraque Apostolum ligabat, altera spiritum, altera corpus premens. Tot itaque nodis, sacerdotes, ligabatur ille, qui tam liberaliter in sui Domini obsequio versabatur. At nos, ceu iumenta siluestria, feræque pecudes, vagabimur nullo vinculo ac nexu? O nos felices, si nostra corpora propter Christum vinculis onerarentur! Sed pœnarum eiusmodi honorem mereri non possumus. Reliquæ sunt igitur aliæ duæ catenæ, quas diuidi hic inter nos oportet. At de me ipso inprimis*

Ad Ephes. cap. 6. n. 20.

Psal. 49. n. 13. & Iob cap. 18. n. 3.

mis

mis sic contestor. Adstrictus ego officij mei catena, et vt Diuino præcepto satisfaciam, et vt exoluam promissi fidem, quo me olim vestra causa obligaui, postulo et obsecro, Vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis. *Vestra causa deuinctus ego teneor, sacerdotes; et quidem eiusmodi vinculis, quorum pondus nunquam, nisi cum vita ipsa, deponetur. Vestrum est statuere, velitisne catenam illam amoris, quæ non ita ligat brachia, et pedes, sicuti cor et animum ipsum. Si hanc elegeritis, minimè dubito, quin breui tempore tales sitis, quales Apostolus esse suos cupiebat, quin scilicet progrediamini feliciter in vocatione vestra, et humilitatem, et patientiam, et mansuetudinem ametis*, Supportantes inuicem in charitate. *Atque si hæc à vobis fierent, non ampliùs aures obtrectationis vocibus personarent, facescerentque odia, et vinculo charitatis coniuncti, spiritus vnus, et corpus vnum in Christo Iesu essemus in omnium oculis, vnaque spes æternæ salutis nos amabilissimè consociaret. Atque ideò*, Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis.

PRI-

PRIMA DIE
Synodus
ANNI M.DC.XIII.
DE SACERDOTALI Zelo.
CONCIO XXV.

INFINITA sua sapientia Deus Vniuersitatem hanc molitus erat, reuerendi sacerdotes, cùm ipsemet intuens Cælum, et elementa, et omnia, quæ Cæli ambitu continebantur, velut artificio suo delectatus, laudauit opus, neque habuit quod desideraret, cùm absolutè perfecta, et pulchra omnia essent. Sed vndenam factum putamus, vt supremus ille Artifex, postquam humanam figuram, carnemque assumpsit, in diuinis suis sermonibus dixerit ea, quibus artificium idem improbare videretur, veluti cùm dixit; Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ac- Lucæ cap. 12. u. 49.

ccn-

cendatur? *An fortasse ignis inter elementa vnus, in suo clausus orbe esse amat, abnuitque commercia Terrarum, et prodesse mortalibus recusat? An fortasse pars illa, quæ delapsa in Terras, habitat nobiscum, irata discessit olim, rigidasque et horrentes Terras reliquit? Ecquando defuere incendia Terris, irarum nempe, et odiorum, et prauitatum aliarum, in quibus assiduè viuit, siue potius moritur hominum genus? Annon fortasse vltimi diei noctem expectant flammæ hanc absumpturæ Vniuersitatem? Nonne tunc elementū hoc ignis, non solùm in elementa cætera, sed etiam in res omnes humanas imperium exercebit? Conflagrabit sanè Mundus igne, sacerdotes; et assiduè in deprauatis affectionibus nimiùm ardet: atqui verum illud etiam est, humanum solummodo pectus frigidam illam, et tenebricosam terram esse, quæ delapsum è Cælo ignem retinere non potuit. Cui tanto malo remedia parans Saluator, dixit*; Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? *Atque in ea re cor nostrum, quod centrum est corporis, terræ centrū imitatur, vbi sunt frigoris, et obscuritatis regna, cùm cæteræ creatæ res, quasi terrestrem Mundi circulum effingentes, Creatori suo largissimè tributa ferant. Tanto hoc igne pars hæc vna non ardet, neque interdum illuminatur, ac ne calescit*

qui-

quidem, eumque ignem ſacræ Litteræ varijs nominibus notant. Splendorem alibi, alibi Flammam, interdum Amorem, ſæpe Charitatem, nonnunquam Dilectionem, Æmulationem etiam, Spiritumque Domini, et Zelum nuncupauere. De zelo hoc, ac maximè de ſacerdotali zelo nobis hodie propoſitum eſt agere, fratres chariſſimi, atque locum hunc tractare, quatenus tenuitatem noſtram Deus adiuuabit. Quæ virtus, et potentia ignis eſt inter elementa, quæve amoris inter humanos affectus, quæve Solis inter ſidera; ea vis et virtus eſt zeli, cuius naturam, atque conditionem ægrè oculi hominum agnoſcere poſſunt. Audax enim ſimul eſt, et timidus; tardus, et velox; honeſtiſſimus idem, immo honeſtas ipſa, nec tamen erubeſcit; largus erga neceſſitates alienas, et rerum omnium indigens; rigidus, et miſericors; occultus, et latendi neſcius; tunc vincens maximè, cùm vincitur; amanſque, etiamſi minimè redametur; vitam denique ſimul, et mortem ferens illis, quorum pectora occupauerit. Eſt autem tanta nobilitas huius liberaliſſimi affectus, vt diuinam præcipuè ſemper voluntatem reſpiciat, ſemperque ad eam attemperare ſe ſe ſtudeat ac conetur. Eo nimirum inflammatus fortiſſimus ille Paſtorum, poſtquam vrſos, leoneſque ſtrauerat, deſpondit ſibi Goliæ necem, qua populum ſeruaret,

 atque

1. Regum, cap. 17. n. 36. *atque ita est locutus*; Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philistæus incircuncisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis? *Est autem zelus tam charus acceptusque Deo, vt exploratum sit, eos, quorum animis insederit, ad æterna fruenda gaudia esse ab omni æternitate destinatos. Vrbem Ierosolymam delere cædibus parabant Angelorum aliqui, cùm eorum vni mandatum fuit, vt quemcunque peccata populi deflentem inuenisset, signaret super frontem salutari littera Thau, vt ei nimirum parceretur: atque ita euenit. Quamobrem magnoperè timendum est illis, qui nihil, aut parùm de aliena salute soliciti, calorem huius flammæ minimè experiuntur. Hi clausum pectore testimonium tenent, quo accusantur assiduè, lacerantur què conscientiæ stimulis, dum me verba hæc pronuntiantem audiunt; sciunt enim, nullam sibi scintillam esse charitatis. Est item magnoperè timendum illis, qui vitioso pudore impediti, virtutis opera omittunt. Antecedebat Arcam Dauid, sicuti nouistis omnes, pectore, brachijsquè nudis, hoc nimirum alto spiritu tactus, qui vanum ab ipsius pectore timorem, pudoremque omnem, veluti nebulam importunam, disiecerat. Non ille monebatur inani verecundia, cùm in conspectu populi iret nudus, cùmque nuditas ea seruitutis etiã*

Ezechielis cap. 9. n. 4.

2. Regum, cap 6. n. 20.

indi-

indicium esset, sicuti multis locis diuinæ Litteræ testantur. Quàm multa laudabilia operà vitiosus hic pudor moratur? Quàm multi fortes alioqui, et magnanimi vincuntur hoc pudore, qui fortasse maximas aliorum vires, et fraudes minimè timuissent? Nimia honoris cura, suspicionesque inanes, et vanus timor, quanta bona mortalitati miseræ auferunt? Sanè sunt singulari admiratione digna illa Saluatoris verba, quibus aduentus ipsius, et parata humano generi per eum salus, parabolæ explicatione declaratur; Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. *Ea verba ad timorem, vel etiam, ex Græca interpretatione, ad reuerentiam et obsequium accommodari possunt, quo perfidi illi fortasse reueriti non fuissent nobili stirpe natum; ac nihilominus cælestis Pater Filium suum è Cælo in Terras misit; eiusque famam, et honorem, sicuti vulgò loquuntur, humanæ salutis causa in discrimen dare non dubitauit. At nunc ex vestro numero, sacerdotes, quàm multi vana prudentiæ cura vaticinantur in animis suis, inanes fore labores, inaneque negotium; ideoque timendum esse aiunt, valdeque suspicandum. Multi sane vestrum sunt, qui eiusmodi retibus et laqueis semetipsos implicant. Nonnulli etiam alij ob vanas amicitias, perditamque vrbanitatem, ob-*

Exodi cap. 33. u. 5. Isaiæ cap. 10. u. 2. 3. & 4. Thren. cap. 4. u. 21. Ioelis cap. 1. u. 7. Amos cap. 2. u. 16.

Matth. cap. 21. u. 37.

iurgationis officium omittunt, desinantque deferre ad Episcopum eorum nomina, qui statis temporibus sacra mysteria non obiere. Ductores exercituum nonne lætantur, cùm milites suos ad prælia, expeditionesque præclaras vocant? At tu, sacerdos, cur times, scire aliquem munere tuo esse te perfunctum? Quis arcana ista patefaciet? Non egent prouidi, et seduli custodes animarum admonitione mea vlla; ideoque inertes tantūmodo alloquor, ac dico, maximum esse numerum eorum, qui salutifera hæc monita, piumque huiusmodi officium adhibere consueuerunt. Parentes, et fratres, et propinqui, et sapientes, et timentes Deum, sæpe munus illud exequuntur, quod tuum erat; neque ideo minuitur culpa, quod ea non agas, quæ officij tui partes requirunt; sed minuitur metus ille, quem vanè concepisti. Immo credunt subiecti tui, negligere te partes tuas, altoque somno depressum quiduis aliud agere, quàm vt sedulitate eiusmodi vtaris; ac de quouis alio potius, quàm de te ipso suspicarentur: tuaque nimium nota somnolentia tibi securitatem præstat. Sed quoniam cælestem hanc flammam cum nostri ignis naturā contulimus, qui momento temporis ardet, et absumit, omnique suo motu velocissimus est; ideo considerandum est etiam, quomodo fieri possit, vt zelus tam temperatè in suis rebus agat, tan-

taque

taque patientia, lentoque passu cœpta prosequatur. An fortasse Zelus noster, quasi pictus ignis, caret vigore; aut tam tenuis est, vt materiã, quam comprehendit, breui spatio purificare, atque adducere ad perfectum non possit, sicuti ignis alter inexplicabili sua vi in res humanas agit? Attamen lento gradu, summoque labore contenderunt illi, qui diuino Zelo ardebant; Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessaui, cum lacrymis mónens vnumquemque vestrum. *Quomodo fieri poterat, vt ad primam Apostoli vocem hominum pectora non emollirentur? Quod tam durum metallum, quod caminus ille non domaret? Sterilis planè tellus erat, quam vna Pauli lacryma non fœcundaret. Ac nihilominus multæ molestiæ vorandæ illi fuerunt, noctesque, et dies, et anni consumendi in alienæ obstinationis tolerantia, vt fructus denique aliquis colligeretur. At tu, sacerdos impatientißime, nihil habes longius, quàm vt sacrificijs, et precibus illis defungare, quæ tui muneris sunt. Lentè ad Ecclesiam accedis; postquam vero accesßisti, mutata velut repentè natura, velocißimus es ad discedendum. O psalmos, hymnosque sacros, et sacrificia carentia interdum obsequio, et veneratione, quæ sacris rebus debetur! Non caruit fortasse magno mysterio, quòd Arcam Dei traherent*

Act.cap.20.n.31.

rent boues potiùs, quàm equi veloces ad cursum: constitutioque Templi multos annos tenuit, licet Salomon rerum omnium abundantia circumflueret. Sed ædificium illud, quod tu absoluendum sumpsisti, maius opus est, quàm opus illud, quod Salomoni Regi susceptum erat. Ponamus exempli causa, onus illud esse tibi susceptum, vt palatium extruas ex lapidibus animatis, qui sensum eum haberent, vt possent artifici non parere, quæ vicissitudines, et varietates, et mutationes in molesto illo opere cernerentur? Ita planè spiritualis ædificij petræ, sicuti manifestè nimium videmus, proijciuntur irarum sæpe impetu in diuersas partes, sensuumque violentia franguntur; mobileque hoc ædificium constat parietibus, qui vacillant semper, et nutant fundamenta; idque leuem esse laborem dices, qui breuis horæ spatio absolui, celeriterque perduci ad fastigium possit? Mundi arua infœcunda sunt omnium frugum bonarum, vrticæque, et herbæ infelices passim crescunt, quoniam opus hoc cæleste contemnitur. Nobilis olim fuit agricultura, si de ea loqui velimus, nec agrorum puluere fœdabantur corpora, nec ignobiles calli manuum erant, quos aratri contrectatio fecisset. Nunc verò quantopere tellus ipsa contemnitur? Ita squalet Mundus ob eorum penuriam, qui labores suscipere velint. Sed quid tandem, fratres,

reme-

remedia potest afferre Vniuersitati huic, instabilemque mentem sistere, vt constanter agamus, et suppetant vires labori tam aspero et duro? Amor vtique potest supra res omnes, qui, sicuti Sanctus Gregorius Nazianzenus habet, dulcis quidam est Tyrannus. Is potest in obsequio diuino continere animum tuum, franareque furiosos appetitus, dum hac, illacque discurris nullo reuerentia vinculo. Hac te vincula mansuetum, obedientemque facient; breuiaque mensium, et dierum spatia erunt, qua in diuino hoc obsequio consumes; et tanquam alteri Iacob, molesta non erit tibi multorum annorum mora, sicuti Gregorius Nazianzenus idem hoc loco commentatur. Hac erga res sacras impatientia pessimi moris est; innuitque Euangelista Lucas, neminem fermè posse reperiri tam stultum, qui tale quidpiã admittat. Euangelij porrò verba sunt hac; Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? *Quis vestrum tam vecors, immemorque est, et tam expers rationis, vt reperienda ouicula curam omittat?* Donec inueniat eam, *sacerdotes. Pratereant dies, et hebdomada, calorque, et frigus perferantur, et montium ardua, valliumque anfractus superentur nocturno, diurnoquè labore; sudetur in*

Gregor. Nazianz. Orat. 28.

Lucæ cap. 15. n. 4.

arduo

arduo hoc itinere, Donec inueniamus eam. *O duram ſimul, ſanctamque legem! Quòd ſi parabola hæc parùm idonea eſſet ad excitandos eos, qui iacent inertiæ ſomno demerſi, efficaciorem alterã in Euangelio habemus, quæ declarat animarum decus, grauemque laborem, qui rectoribus earum perferendus eſt. Vt dragma illa pretioſa inueniretur, quantum laboris exhauſtum eſt, quantumque diligentiæ adhibitum in domo illa?* Nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? *Sed vt facilè credent omnes, zelum eſſe laborioſum affectum, ita cùm ſit ea tam violenta perturbatio, difficile eſt intelligere, quomodo præparet ea mentes ad timorem, ad dolorem, ad moleſtias, eaſque grauibus curis impleat, et ſuſpirijs aſſuefaciat animum. Id ita verum eſt, vt infelix ille Heli nuſquam alibi quietem inueniret, dum de eo legitur;* Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. *Præſentium quoque malorum zelus adeò querulus et lamentabilis eſt, vt de Eſdra populi ſui ruinas audiente, ſic extet;* Cumque audiſſem ſermonem iſtum, ſcidi pallium meum, & tunicam, & euelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mœrens. *Præterea, zelus timidas ſpes, ſuſpicioneſque importunas gignere ſolet, ob quas anxiè, ſolicitèque mortales agunt; idque declarant hæc verba;* Deſcendi in hortum meum, vt viderem

Lucæ cap. 15. u. 8.

1. Regum, cap. 4. u. 13.

1. Eſdræ, cap. 9. u. 3.

Cantic. cap. 6. u. 10.

derem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. *Et alibi clariùs*; Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica. *Apparet flos, et certa statim coniectura fructus promittitur: in vineā ingredimur, non solum ad colligenda ea, quæ ibi fert tellus, sed etiam faciendi operis causa: non lucri dulcedine, sed saluandarum animarum officio, gradus acceleratur. Respiciuntur desideria, et inchoata res, et correcta nonnihil consuetudo, nec exitus solum, sed etiam viæ, quæ ad exitum ducant, inspiciuntur: oportetque pastorem, non solum cupere salutem gregis, sed etiam omnibus modis eam curare. Ac sicuti mala, quæ inuadere gregem possunt, sunt propemodum innumerabilia: ita vtilitates, et beneficia, quæ grex ipse à pastore expectat, numerari ferme nequeunt: ouiculasque pascere, et affatim nutrire minima pars nostrarum curarum est, sacerdotes*. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte custodiam: & pascam illas in iudicio. *Cùm autem numerus gregis immensus est, quot morbi occupant*

Cantic.cap.7. 12.

Ezechielis cap. 34. u 15.

Dd eum,

eum, quàm varia remedia inuenienda sunt, quot partes corporis curandæ, quanta temporum diuersitas, cælestesque influxus, et ætates, et singulorum hominum conditiones, casusque aduersi, ô populorum pastor? Itaque plena omnia timoris sunt, atque solicitudinis, quam in rerum diuinarum ordine experiri necesse est, sicut eam in rebus humanis nos experimur. Sentiunt enim omnes, animam cruciari rerum earum causa, quæ ad corpus pertinent, atque dolorem ex ijs rebus percipere, quæ nihil ad ipsam spectant, si ipsa per se consideretur. Corpus præsenti tantum dolore angitur, cùm anima longinquas etiam miserias sentiat, ijsque etiam cumulata sit, quibus caret. Curæ istæ nobiles, sed molestæ, procul absunt à sacerdotibus illis, qui zelo deficiente, non obuiam eunt eorum necessitatibus, quos pascendos sibi, atque custodiendos sumpsere: lucidaque macies, et squalor, et fames ouile habet. Id non fieret, si te, infide pastor, accensa charitas haberet: arderes enim amoris igne, sociusque fieres illius lacrymis, qui suorum misericordia, sic exclamauit; 1.Machab.cap.2. u.7. Væ mihi, vt qui natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? *Vides animam vnam in æternum perire, aliam ruere præcipitem ad exitium; et talia spectans, taces ipse,*

ac

ac sedes? Violantur leges atque instituta salutaria omittuntur, neque commoueris? Cur non exclamas cum eo, qui Ierosolymæ ruinas spectabat; Venite,& ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium? *Hæc damna recident in tuum dedecus, sicuti etiam non leue dedecus tuum erit squalor armenti, et macies.* Pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. *Ac deinde sequitur graue, et iustum illud;* Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum. *Deus optimè dijudicabit quæ causæ occultæ, quæve initia labefecerint gregem, pastoraliaque opera tunc subtilissimè examinabuntur.*

2. Esdræ, cap. 2. u. 17.

Ezechielis cap. 34. u. 8.

Ibid. u. 20.

Alia restant nobis de mirifica natura sacerdotalis zeli tractanda, quæ vos, sicut animaduertere videor, inuoluta silentio esse noletis. Itaque crastina die satisfactum iri efflagitationi vestræ speramus, quam attentio ista vestra in me audiendo satis declarat.

SECVNDA DIE
Synodi eiuſdem.

DE SACERDOTALI Zelo.

CONCIO XXVI.

Ezeceielis cap.8. u.1.

BABYLONE Ezechiel agebat ſedens in medio ædium ſuarum, erantque cum eo venerandi captiui ſenes tunc, cum Prophetæ ſpiritus ſubductus in Cælum eſt, eique oblata eſt imago hominis vnius, qui igneus eſſe homo videbatur, multoque ſplendore fulgebat. Ea ignea imago, iniecta in capillum manu, ſuſtulit Vatem, atque deportauit illuc, vbi Baali Idolum ad templi valuas collocatum, diuinas aſsiduè iras, zelumque cæleſtem laceſcebat. Ibi Vati dictum eſt, reſpiceret varias brutorum animantium formas, quas illic mortales adorarent. Aliud inde ſpectaculum fuere mulieres, quæ corruptos inhoneſtoſque mores deflebant; et mox homines nonnulli oſtenduntur ei, qui orientem Solem adorabant. Cæleſtis hic Spiritus, qui cinctus flammis videbatur, iubarque Solis imitabatur nudando hominum ſcelera, imaginem,

ginem,

ginem et formam veri zeli repræsentat. Cur autem Ezechieli tam memoranda hæc visio oblata est? Nimirum vt precaretur, placaretque Dei iram, quæ in populi culpas concitata erat; vt optimum quemque gentis Hebraicæ commoneret; vt denique conaretur eiusmodi flagitijs obuiam ire, et tantis malis remedia quæcunque posset, inueniret. Est igitur zeli munus resistere peccantibus, nec obsequio diuino vlla in re vnquam, aspera licet, et laboriosa, deesse. Tanta vis, inquam, est huius zeli, sacerdotes, vt non militi solùm arma ministret, sed teneras etiam puellas in aciem mittat. Id enim verba illa declarant; Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata. *Neque zelus hic, sicuti plerisque persuasum est, dura tantùm pectora, austerasque mentes tenet cum ostentatione toruitatis; neque superbiæ partus est, comesue naturæ agrestis. Sponsa siquidem venusta simul, et mansueta erat, placidißimisque moribus, et cælesti virtute ornata. Non itaque zelus perhorrescit armatas acies, amatque conserere aduersus peccantes arma; quod proprium vestrum est munus, sacerdotes, sicuti locus declarat Ezechielis, quem nos superiore concione recitauimus: ibi enim, postquam sunt varia pastorum officia commemorata, illud tandem subijcitur;* Et quod pingue

Cantic. cap 6. u 3.

Ezechielis cap. 34.u.6.

gue & forte custodiam. *Humanæ opes sæpe addunt vires nimias animis, superbaque ferme est potentia. Neque vera fortitudo reprehenditur hic, sed nimia audacia et elatio intoleranda, arrogantiaque ouium illarum, quæ cæteras abigunt pascuis, molestaque sunt. Genus, inquam, hoc minimè ferendum est, verbereque coercendũ; aut interiore custodia obseruandum; aut, si ita res ferat, à cætero grege secludendum. Vox* אשמיד *Asmid, quæ apud Hebræos custodiendi sensum habet, habet eadẽ dißipandi, et frænandi. Sed vellem ego proprium huius loci sensum accipere à prauis sacerdotibus. Si culparum conscientia vos angit, quo tandem ore reprehendetis alios? Si munere isto reprehensionis defungi constanter voletis, quomodo poterit animus vester à metu liber esse? Quid nos putamus esse dicturos impudentißimos quosdam mortalium in peccando, si verba hæc Ezechielis, aut ipsi per se intelligerent, aut interpretatione nostra sensum et vim eorum assequerentur? Credo ego, eos non ardore zeli, sed studio obtrectationis ita eße dicturos; fugiendam esse sacerdoti laicorum consuetudinem, vt eos postea reprehendere poßit, dandamque operam ei esse, vt apud suos in honore habeatur. Postquam diuino iussu Samuel ad Saul acceßit, vt admissum cum Amalec flagitium increparet, excidiumque Regni denuntiaret, vix* le-

1. Regum, cap. 15. u. 27.

legatione tam seuera defunctus erat, cùm retro gressum vertens, procul abibat ab regio conspectu: sed dolore cumulatus Saul, abrepta lacinia vestis retinere Prophetam tentauit; eiusque vestimenta confestim diuisa sunt in duas partes. Sanè austeri illi mores vim eam habuere, vt sceleris illius atrocitatem arguere possent, Regemque ipsum implerent terrore, et diuinas iras ante oculos ponerent, remque, sicuti erat, interpretarentur. At incommoda nominis fama, quam superior alicuius vita, præsensve meretur, et aduersa testimonia multorum diuinis quodammodo mysterijs minuunt abrogantque fidem. Plena dignitatis vtique est oratio, qua Samuel ille plenus annis, et defessus ob regendi populi labores, in cuius gubernatione consenuerat, ita est eum allocutus. Iam tempus est, filij, requiescere nos à laboribus: canicies que hæc, et tremula membra, quæ iam fatiscunt in perferendis vestra causa laboribus, succumbente pariter animo, etiamsi nihil ego dicerem, possent vobis veritatis testimonium perhibere. Vnum est, quod petere à vobis in extremo hoc tempore vehementer velim; vt nimirum liberè dicat mihi vnusquisque vestrum, si opus meum vllum vnquam improbum vidit: si rem alienam inuasi: si calumnijs aliquem circumueni: si manus meæ pollutæ sunt munerum contactu; nam reficere damna hæc

1. Regum, cap. 12. u. 2.

omnia

omnia ſum paratus. Tunc variæ vndique voces exauditæ fuerunt, quæ iuſtiſſimum fuiſſe illum teſtarentur, Leuitamque ſanctiſſimum, eiuſque rei apud Deum, et homines ſe ſe teſtimonium ampliſſimum eſſe perhibituros. Hac audita teſtificatione Samuel, quæ maximi momenti eſſet ad ea, quæ dicere parabat, inſtitit grauiſſimè arguere populum, eiuſque culpas per temporum gradus demonſtrare aggreſſus eſt, itaut ſingulas, et vniuerſas eas ante oculos poneret. Hæc diuina, et humana ſimul ars eſt, ſacerdotes, et certiſſima ad perſuadendum via: hæc ſumma ciuilis prudentia eſt, ſi rectè intelligatur. Neque mirum videri tibi debet, quòd tanta perfectio requiratur in te, qui populum curas et regis: opus enim eſt tibi probatiſſima vitæ auctoritate, et nominis fama, vt periculum, et dimicationes, quæ aſſiduè propoſita ſunt, vincantur. Eleazarus inclytus Dux Hebræorum fuit, qui pro ſua patria in Antiochum pugnans, mirifica quadam opera edidit bellicæ virtutis. Is, cùm exercitus in conſpectu eſſent, elephantem armis onuſtum vidit, qui ſuper cætera animalia, quorum ibi greges erant, longè eminebat, Regemque ibi ſedentem cernere eſt viſus. Tunc magnus Iſraelitarum Imperator, accepto ſecum ordine ſtrenuorum militum, impetum fecit in hoſtium aciem, eaque diſſipata, tam longè proceſſit, vt

1. Machab. cap. 6. u. 43.

vt ad immanem illum elephantem perueniret. Ibi stimulante animum ira, et virtute, adiuuantibusque suis, subijt ad bestiæ latera, et vbicunque patentem vulneri locum videret, tam largas gladio plagas intulit, vt demum turrita illa moles concisa vulneribus, cum ingenti strepitu collaberetur, ipseque simul belluæ interfector obrueretur eadem mole, et sub ea sepultus iaceret. O felices Dei amicorum exitus! O Martyres, ò Sancti, quam tandem vos mortis viam magis adamastis, quàm quæ similis huic esset? In bello hoc, quod contra peccati monstrum aßiduè suscipitur, cadendum est, fratres, nec honesta minus morte perueniendum ad vitæ huius finem. Immanis est fera, peccatũ: ea sternenda est et occidenda. Sed quid tandem fit? Ipsa super te effunditur, ruinaque illius oppressus iaces, dum nimirum odia, et insectationes, et vulnera potentiorum vrgent, qui sic peccati, scelerumque propugnationem sumpsere. Delectat animum meum, sacerdotes, huius argumenti tractatio; vellemque in contemplanda natura Zeli longiùs etiam progredi, statuereque vobis ante oculos vim penitus eius, et mores, sicuti ab initio mihi destinatum fuit. Sed rumpit orationis meæ filum iusta in sacerdotes illos ira, quibus improba cura studiumque est occidendi, non communem hostem, sed prolem ipsam suam: eaque pectore mibi nunc

Ee glißcens

gliscens indignatio, turbat animi mei partes, impletque tanta mæstitia, vt perturbatè claudere orationem cogar. Continere non possum hanc vocem, quin exclamem aduersùs eos, quorum mala exempla infinitam animarum stragem edunt. O feras immanes, et indomita monstra, et sitibundam rabiem, famemque voratricem animarum! Si circumuentas eas aliquo periculo, exitiique discrimine videres, debuerat stimulare te zelus, itaut Danielis cap. 6. *ad ferendā opem aduolares. Antiquo Danieli magna fuit apud Persarum Regem Darium auctoritas, et gratia; iuuenisque ille propter suam virtutem aula potiebatur: sed inuidia fauoris comes, simul aggressa iuuenem est, proceresque Regni, allato ad regem crimine, quòd gratiosus ille suum Numen adoraret, vt capite damnaretur, effecere. Offenderat magnopere Regis animum contemplatio insidiarum, quas innoxio esse structas videret, ingentique perculsus dolore, sicuti sacri tradunt Annales, diem totum in eo consumpsit, ab ortu Solis ad occasum vsque, vt Danielē eriperet neci. Verumenimverò furor, et importunitas accusatorum augebatur in singulas horas, venerandamque patriarum legum auctoritatem, et violata Persarum, ac Medorum iura multùm iactabant. Tunc Rex, accito Daniele, cœpit dulciùs affari verbis eum, hortarique, vt spem in Nu-*

Numine suo vniuersam collocaret, atque post eiusmodi alloquium, annuit, vt septo leonum traderetur; et sine mora carnifices imperium id exequuntur. Reputans postea Darius, vanam fuisse suam solicitudinem, seruique sui periculum agnoscens, abstinuit cibo, somnumque nocte illa capere non potuit; et exorta statim luce, ad lacum leonum accessit, vbi flebili voce Danielem ciens, cùm viuere adhuc eum sensisset, incredibili statim lætitia cumulatus est. Sed cur tandem Rex Persarum tam manifesta signa doloris, ac timoris dedit? Ob amorem, sacerdotes, atque ob necessitatem publicatæ legis, quæ Danielem inuito ipso tollebat. Væ tibi, sacerdos, qui non iam seruis, sed proli ipsi tuæ paras necem! Vbi lacrymæ, vbi saltem suspiria sunt tua? Iam olim mulierum vna, cùm nullum ex se partum ederet, suam ipsa vitam contempsit: tantaque erat acerbitas doloris, quem ex ea re capiebat, vt tenera illa verba ex ipsius ore prodierint; Da mihi liberos, alioquin moriar. *At tu statim natos occidis? Obstetrices Hebraicæ non sustinuere infantum eorum necem, quos antea nunquam vidissent: tu verò pater, et mater animarum es, quas minimè amas. Eas peperisti Christo, et fidei, gratiamque ijs per Baptismi mysterium, et christianæ fidei præcepta contulisti. Quomodo tu pater earum, si talibus*

Genesis cap. 30. u. 1.

Exodi cap. 1. u. 17.

modis eas non genuisti? Immo Apostolus minimè contentus appellatione ista patris, filios, quos
Ad Philem.u.12. *spiritu genuerat, appellat viscera sua, dum ait*; Tu autem illum, vt meà viscera, suscipe. *Potest pater integra optimaque valetudine vti, cùm languet ægrotatque proles: sed si paterna viscera dolore aliquo tentantur, tunc necessariò dicendum est, patrem esse infirmum. Quomodo poterit igitur sacerdos tranquillè vitam agere, dum pars vna sui, nempe proles illa, quam Christo peperit, lethaliter ægrotat? Sed etiamsi minimè pater ipse esses, possum ego peruersissimi hominis testimonio*
Genesis cap. 4. u. 9. *demonstrare, dignum te esse supplicio*. Num custos fratres mei, *inquit fratricida*, sum ego? *Id perinde fuit ac si diceret: si custos ego essem, nescirémque dicere, vbi frater meus esset, tunc vtique manifesta mea esset culpa, neque diluere crimen vnquam possem. At tu, qui custos es, nullaque subiectos tuos cura protegis ac tueris, quomodo tandem diuinæ iræ telum vitabis? Quid fiet tibi mactanti illos, quos paterna cura custodiendos suscepisti? Cùm tantum supplicij debeatur incurioso custodi, quænam erit pœna insidiantis, et occidentis? Occidunt sanè gregem peruersi sacerdotes eo ipso, quòd neque veri custodes gregis appellari possunt, neque amant eum. Misericors semper est amor, paternusque sensus, et*

ma-

materna cura semper est plena pietatis. Nulla fortasse res tantopere extulit inclyti Salomonis sapientiam, quam mirabile illud iudicium, quo falsam ab vera matrem dignoscere potuit, cum ea, quæ minimè erat, esse se matrem, et verbis, et vultu profiteretur. Non ille humanorum sensuũ acerrimus inuestigator testimonia quæsiuit, quæ rem, sicuti erat, arguere possent, neque infelices illas feminas exterruit minis, non tormenta admonuit, habuitve quæstionem; sed iudicem adhibuit amorem, qui iudex vnus falli non poterat, amorisque iudicio vsus, admirabilem illam sententiam pronuntiauit, qua litem finiret. Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius. *Sic ego vobis dico, pastores animarum, non posse occultari amorem hunc, zelumque, flammæ instar, fulgere semper et conspici. Matres, et pastores, patresque animarum, nimium facilè semper cognoscuntur. Insidiatores homines, et alieni sanguinis auidi, summa vi prohibendi sunt, ne sæuiant in teneram filiorum ætatem, ijque manibus ipsorum extorquendi sunt, ne deuorentur: at bonis, innoxijsque sacerdotibus numerosa proles committatur, honorque habeatur eorum fidei, patresque appellentur; et in hac, alteraque vita iustorum præmijs fruantur, sicuti innocentia, factisque suis egregijs meriti sunt. Poterat, auditores,*

3. Regum, cap. 3. u. 24. & seq.

tores, iudicium hoc Salomonis esse terminus orationis nostræ, atque historia hac optimè explicasse Zeli naturam videri poterat, nisi memores esse vellemus instituti nostri, quo synodales huiusmodi conciones tertio semper die claudere soliti fuimus aliquo dicto Apostoli illius, qui sacro concionatori norma et magister esse debet. Ac sanè par erat, nostra extrema de zelo verba consecrari memoriæ nominique illius, qui charitate totus ardebat; nec alibi scintillæ flammæ huius magis lucent, quàm in ipsius monumentis, ac præsertim in verbis illis, quæ diuino nutu crastina die recitabo hìc, et exponam.

TER-

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

DE SACERDOTALI Zelo.

CONCIO XXVII.

EGO autem libentissimè impendam,& superimpendar ego ipse pro animabus vestris: licèt plùs vos diligens, minùs diligar. *Quàm larga sunt tua hæc promissa, magne Apostole Paule? Quàm ampla dona sunt ista, quæ Corinthijs tuis parasti? Vbinam thesauri sunt tui, et quænam argenti, aurique venæ intra tuos fines apparuerunt? An fortasse detritam illam penulam, quam alibi relictam esse Troade ais, proferre vis in medium, tantique patrimonij opibus alienas necessitates subleuare meditaris? Quid ais igitur, quid promittis? Considerate nunc mecum, sacerdotes, ingentem animum, excelsamque vocem huius diuini Concionatoris, et liberalitatem pauperis huius, quæ in omni magno opere necessaria est. Sterilis arbor est auarus, in cuius frigido pectore nulla vnquam generosi spiritus flamma concipitur. Is quasi*

2. ad Corinth. cap.12. u.15.

2. ad Timoth. cap. 4. u.13.

quasi sepultus iacet in cupidinum suarum tumulo,
Iudith. cap. 12. n. 1. *gemitque ibi, et suspirat. Ingressa Iudith erat in Holofernis tentoria, vt patraret nobile facinus, impiumque illum interficeret, cùm illius armigeri, audita muliere, formosissimam ipsam in cubiculo collocauere; quod cubiculum multo auro, multisque gemmis fuisse ornatum credere debemus: quæ res etiam fortiorum oculis vim afferre manifestam creduntur. An illa fortasse conuertit in pretiosas illas res oculos? Minimè verò, sacerdotes. Intentum enim alibi animum habebat, totaque erat in eo, vt facinus patraret, cuius decus vicinum habebat. Miserum Israelitarum genus, et antiqua Ierosolymitana Ciuitas tunc miserrima fuisset, si Iudith auaritiæ dedisset animum, splendoribusque illis offundi sibi mentis aciem passa fuisset. Misera sanè rura, miseraque etiam ciuitates illæ, quæ sacerdotes auaros habent. Fit etiam occulta quadam ratione, vt auarus homo sit idem vilis et abiectus in actione sua omni, sicuti liberalium fortitudo est; atque ideò optimè Apostolus auri, et vitæ contemptum inter se coniunxit, hæc locutus;* Impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. *Inde fit, vt in hoc cætu non exiguus fortasse eorum numerus sit, qui summopere timent, non pericula, sed vmbras ipsas, et somnia, quæ sub aliqua molesta et iniucunda specie repræ-*

repræsentantur. Nondum enim vſque ad ſanguinẽ reſtitiſtis, aduersùs peccatum repugnantes. *Prædictio atque vaticinium fuit eius, quod post tot annorum ſeriem ſecuturum erat, nimirum cladium maximarum, atque victoriarum, quas Christiani reportaturi erant. Qui tamen, licet ſanguine ſuo terram inundarent, nulla ſe ſe laude dignos putabant; aitque Euſebius, eo fuiſſe rigore ac ſeueritate primos Martyres, vt ipſum Martyrij titulum repudiarent, cum eum vni Christo conuenire profiterentur. Iam illi ſanguinis copiam effuderant, plenique cicatricum et plagarum cernebantur, ſæpe leonum fami, flammiſque ardentibus ſuperfuerant: ac tamen, ſi Martyres appellati eßent, id vocabulum nimis glorioſum eſſe ſibi, nimiſque honorificum aiebant. Id fiebat amoris magnitudine, et violentia, quæ tanta erat, vt nihil ſe eſſe meritos arbitrarentur. Sic Paulus, cùm pecuniæ ſubſidia ſuis obtuliſſet, obtulit denique ſanguinem, et vitam, et ſuummet corpus, vt id ſibi donum haberent. Quoduis ille damnum, ignominiamque omnem læto animo ſubire paratus erat eorum cauſa, quos ſibi in amore nequaquam reſpondere ſciebat: atque de ea re ipſe lamentatur, intimoque ſenſu dolet. Sed, ò inclyte et magnanime Paule, cur tandem alicuius mortalis amorem exoptas, cùm te Angeli ament, amplectanturque*

Ad Hebr. cap. 12. n. 4.

Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 2.

turque Seraphini; cùmque Cœlum ipsum ob tua facta simul, et dicta triumphet? Nonne vides, Corinthios tuos multa signa dedisse amoris erga te?
1. ad Corinth. cap.11.u.2. *Taleque tuum testimonium extat*; Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. *Vnde igitur nunc exorta est noua hac amoris solicitudo? Magna certè laus est ista Corinthiorum, quòd nimirum digni essent ea beneuolentia, quæ vinci ac superari non posset. Magna etiam Apostoli charitas fuit, quæ ad instar ignis, nouam semper materiem appeteret, cuiusque flammis nihil satis esset. Magna pariter solicitudo est eorum, qui præsunt alijs, eosque amantissimè gubernant, magna inquam solicitudo, dum se minimè redamari suspicantur, atque ob eam rem inquietè agunt. Talis debuit esse Iobi sensus, cùm ille ita exclamaret;*
Iob cap.19.u.17. Halitum meum exhorruit vxor mea. *Sponsa hæc mea, inquiunt quandoque sacerdotes, quam ego tantopere amo, adspectum sustinere meum nequit, auertit à me oculos, amoribusque alienis implicita, alios ad se trahit, verbaque mea, et consilium omne meum adspernando, à me recedere conatur. Fortaſse locus, quem incolis, similis erit Ægyptiæ Terræ, quæ pastorum omnium effigiem, insigniaque abominatur, sicuti sacrarum*
Genesis cap 46. u. 34. *Litterarum testimonio constat*; Quia detestantur

tur Ægyptij omnes pastores ouium. *Attamen forti et constanti animo nos omnes esse oportet, qui duces exercituum Christi sumus. Pugnanda hæc pugna est, vincendumque; neque abijcienda arma; non dico vindictæ, dolorisve iusti, qui stimulare vos posset, sed pij amoris, paternique zeli, qui solus victoriæ esse instrumentum debet. Memoresque erimus paterni illius amoris; quo Dauid Absalom filium suum prosecutus est, dum deiectus è mentis potestate, merum ille monstrum erat. In illa miserabili dimicatione nunquam flamma paterni pectoris intepuit, mandauitque mitissimus pater in conspectu exercitus vniuersi, ne damnum vllum filio suo inferretur; et posteaquam ille mortuus est, flebat Pater, et cooperto capite, exanimem filium alta voce ciebat;* Fili mi Absalom, Absalom fili mi. *Lætitiaque victoria in luctum et dolorem conuersa est, itaut militares viri ducem suum hisce verbis increparent;* Diligis odientes te, & odio habes diligentes te. *Verus amor, zelusque pectora mortalium excantat, ò filij; tenero enim amore complectimur eos, qui nos odio prosequuntur. Et vis ista cælestis est, non autem maleficarum herbarum potentia; sopiunturque sensus, et animi commutantur, ne sentire damna, et iniurias possint. Quinimmo zelus iste, fornacis instar, omnia conuertit in sui natu-*

2.Regū, cap.18. u. 5.

2.Regū, cap.19. u. 4.

Ibid. u. 6.

ram: O sanctum zelum, admirabilemque ignem, qui Mundum hunc nō absumis, sed eundem creare longè pulchriorem potes! Tu es perpetuus assecla virtutis, et laudabilium industriarum magister, et hostis vitiorum. Tuum est in Cælo maius Regnum: Tu ibi ardes, et fulges veluti flamma clarior, et tuas inde in nos scintillas emittis. Tuis elucentibus radijs pectora nostra illuminantur, neque ab alio igne vitam habere possunt.

PRIMA DIE

Synodus

ANNI M.DC.XIV.

DE SACERDOTVM

Laboribus.

CONCIO XXVIII.

NON peregrinum, gloriosumve initium hodiernæ esse orationis oportet, venerandi sacerdotes, sed simplicissimè ordiar, renouans vobis militum eorum memoriam, qui cum ex flumine vno parcè admodum bibissent, laudem ingentem ob eam rem meruere. Plerosque vestrum arbitror accepisse inclyti Gedeonis Israelitarum Ducis casum, qui Iudic.cap.7.u.5. cum ingenti exercitu aduersus Madianitas pugnaturus, diuinam huiusmodi vocem audiuit: Numerosum istum tuum exercitum video, qui si vincat, fortasse insolenter gloriari posset, et reportatam victoriam in mei quasi contemptum sibi arrogare. Ideo, tibi primum ego impero, ne timidum

midum quemque militem tecum bellantem vlterius progredi in hac pugna patiaris: deinde eos solos admittas volo, qui ad flumen ducti, non caput vndis mergent, sed modicum aquæ tollent manu; hos meos esse milites inposterum volo. Hæc historia varijs documentis referta est, quorum æterna in animis vestris memoria esse debet. Exiguus sanè numerus fuit militum, quos in eam expeditionem sibi Deus segregauit, isque numerus leui nimium argumento probatus fuit, si humanis sensibus res æstimetur. Apertè hoc loco commonstratum est, timorem vilem summoperè negligi in Cœlo, zelumque diuinæ gloriæ rebus omnibus anteponendum, diuinamque voluntatem impenetrabilem esse, et omni nostra notitia altiorem. Sed inter cætera consideratione digna dubitari iustè hoc loco posset, quænam fuerit vera et proxima causa huius tam solennis, et inusitati iudicij. Quid igitur significant obiurgationes huiusmodi, quid reprobationes, quidve tam seueræ leges circa militarem disciplinam? Primum omnium erudiunt nos ac monent, milites Christi laboribus esse natos, et miserijs, ipsisque miseram vitæ conditionem semper esse expectandam. Deinde monent, esse delicias et commoda impedimento magnis conatibus, si quis in ijs se se demergat. Denique colligitur hinc, oportere sacerdotes eos, qui

veri

veri Christi milites sint, contemnere delicias, et omnia sensuum oblectamenta, antequam magni et gloriosi quicquam aggrediantur. Credo ego, diuinas Litteras, quæ sunt veluti veritatis parentes, humanaque simul, et diuina omnia sinu suo complectuntur, credo, inquam, matres illas veri libenter loqui de pueris, et ijs simul, qui nimia cura sensus fouent, vt inde nimirum intelligamus, hosce homines, licet vt plurimum ætate iam sint confirmata, carere tamen viribus, et iudicio, prudentiave ad vitam rectè instituendam. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. *Sententia hæc est Vatis Isaiæ, qua demonstratur, delicias et voluptates habere sæpe vim eam, vt etiam confirmata ætate homines ad puerorum leuitatem reuocare possint. Pari sapientia scriptum est illud;* Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. *Væ nobis, quorum membra, sensusque nil aliud sunt, quàm ipsa tellus, quæ si nimio cultu subigatur, vim suam amittit, communisque parentis vigor omnis imminuitur, et elanguescit. Immoderatæ voluptates sunt veluti sensuum splendores, quorum nimia lux vires ipsorum sensuum attenuat, et extinguit. Nunquam fortes fuere voluptarij homines, ò filij, nec fortibus vnquam cordi fuere deliciæ, easque nulla in re sequi voluerũt.*

Isaiæ cap. 3. u. 4

Ecclesiastis cap. 10. u. 16.

Atque

Atque ideo inclytus ille Israelitarum Imperator, sicuti mox cognoscetis, non minùs fortem sibi dimicationem sumpsit aduersùs omne deliciarum genus, quàm aduersus inimicas Philisthæorum copias. Ac priusquam armatum hostem vinceret, lucidas Bethlehemiticas vndas in siti vicit. Significauit aliquando Dauid, cùm multorum strenuorum Ducum corona cingeretur, quos secum ad bellum conduxerat, æstuare se immodica siti: repente tres eorum, facta per hostium aciem via, pretiosos cum ingenti suo periculo latices ad Imperatorem suum attulere. Sed quid postea factũ est? Bibitne fortasse Imperator ille sitimque restinxit? Immo expetitus ille liquor, ceù victima, Deo est oblatus. Tale sacrificium commodorum vestrorum expetitur à vobis, sacerdotes, si quidem ad Dei bella parati estis. Sed cur tandem tot argumentorum varietati diutiùs insistimus? Cur tam varias huiusmodi persuadendi vias tentamus, cum vno tantùm verbo, multorum sacerdotum, qui hìc adsunt, nomine, satisfieri possit ijs, qui rei veritatem parùm agnoscunt, in hunc modum? A nobis infelicibus, miserisque sacerdotibus, quibus pro nostra conditione vix alimenta conceduntur, nunquam corporis nostri sensus ad satietatem expleti fuere. Quomodo autem possunt apud nos habitare deliciæ, ò communis nostrũ

2. Regũ, cap. 23. u. 17.

om-

omnium Parens, et Pastor, si perpetua nobis dimicatio suscipitur cum incommodis, et ærumnis, paupertateque, et fame? Alij summa montium petunt: alij se se demittunt in ima vallium: plerisque panis aridus, et aqua intra casas humiles, epulas præbent; alij teguntur horrido vestitu, pellibusque caprarum; alij rigent inter niues; nimio alij calore absumuntur. Huiusmodi sunt deliciæ, campique amœni, et palatia, et vestes, et epulæ, et voluptates, ô Pastor noster. Sanè, si qui talia dicant, ijs optimè responsum erit, oblectamenta sensuum, quæ deliciarum nomine appellantur, similia esse corporum vestibus, quæ varijs, ac propè innumerabilibus modis vniuscuiusque membris, et corpori adaptantur; quæque pro temporum varietate, pro conditione locorum, et etiam operum, prout denique cuique visum placitumve fuerit, adhibentur. Neque mos est omnibus sericas, vel aureas induendi vestes, nec propterea tamen ij, qui vestes alias induunt, nudi cernuntur. Quod quàm verè dictum sit, non attinet demonstrari exemplis infelicium illorum, qui calamitosam vitam degentes, delicias tamen optant; de quibus verè dici potest, non eos relinquere delicias, sed ipsos ab delicijs relinqui. Diogenes ille, qui super omnes illius inclytæ ætatis potuit auidas sensuum cupidines domitas habere, gloriatus est, posse se

Persarum Regum delicias imitari, et æquare, qui biemis tempore Babylone, aut Susis agebant, æstate verò in Ecbatanis viuebant. Ad eum enim modum solitus erat ille nunc in Attica regione, nunc in Mauritania, et Theßalia sedem figere. Fugiant igitur pauperes simul, et diuites omnes sensuum illecebras; quandoquidem iam didicistis, eas inter nemora quoque et siluas, inter rudes incultosque homines habitare. Id autem tantò magis faciendum est sacerdotibus, quantò plenior laborum est eorum vita, et quantò plus sollicitudinum affert cura illa pastoralis. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. *Durum sanè opus est, sublatas humeris duras peccantium petras transferre ex vna in aliam sedem, à peccato nimirum ad Gratiam; sanguineque suo respergi necesse est eum, qui non lignea, sed adamantina hominum corda frangere conatur. Huius operis laborem, et damna, quæ communiter secum vehit hoc opus, tunc sentire Moyses visus est, cùm populum Israeliticum suis ipse humeris sustinens, talia dixit;* Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo

Ecclesiastis cap. 10. u. 9.

Num. cap. 11. u. 11.

sicut

ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuraſti patribus eorum? Vnde mihi carnes vt dem tantæ multitudini? flent contra me dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi. Sin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. *O dolorem ingentem, quo ſummus Hebræorum Princeps coactus eſt petere mortem pro laborum ſuorum præmio ac mercede! Atque vndenam tantum extitiſſe dolorem arbitramur? Ex alienis vtique lacrymis, ex obtrectatione populi, corporiſque laboribus; quæ vtique omnia comparanda minimè ſunt cum ijs exitij ſempiterni periculis, quæ paſtoribus animarum aſſiduè impendent. Quarum animarum cauſa, et amore, laqueis innumerabilibus impliciti tenemur ſacerdotes; et noſter erga ipſas amor, plenus lacrymarum, atque ſolicitudinum eſt.* Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium, *inquit Paſtor ille fidus, ſuique gregis amans, dum noctes totas vigilaret. Laborioſæ huius vitæ paſtoralis ſolicitudines quantæ ſint, ex varijs diuinarum Litterarum locis colligi poteſt, ſed præcipuè ex illa ter iterata compellatione, qua Saluator Apoſtolorum Principem interrogauit*; Simon Io-

Cantic. cap. 5. u. 2.

Ioan. cap. 21. u. 17.

Gg 2 annis

annis, amas me? *Quorsum pertinet ista toties repetita efflagitatio? Non petijt Saluator ab Apostolo, vt ascenderet montes, sulcaret-ve maria, venenumve sorberet, aut effunderet sanguinem; neque alterum amplecti amore; res tam ardua est et laboriosa. Ac sicut in paruula gemma consideratur valor multarum opum, quæ in ea veluti occultæ manent; quæ opes si cumulo vno congestæ clarè cernerentur, haud dubiè valor illarum ualori gemmæ ipsius præferretur: ita in hac diuini amoris gemma molestiæ innumerabiles continentur, eaque grauissimæ, quas adspectu primo cernere nequimus. Atque ideo firmissima animi deliberatione opus fuit, firmoque promisso, vt amoris huius leges implerentur. Et quo plus animi Discipulo suo adderet Christus, stimulum admonuit omnium efficacissimum atque acutissimum. Dum enim interrogat, an ab ipso ametur, talia quædam dicere voluit. O Petre, et Apostole tam mihi chare et accepte, paratusne es ad ea omnia Cæli munera, quæ amanti tibi iam destinata fuere? Visne Cælesti illa, æternaque Beatitudine frui, meque ipso, qui Deus ipse sum? Hæc interrogatio satis declarat, auditores, quàm sint graues pœnæ, quantique labores eorum, qui saluti, et custodiæ animarum præsunt; quandoquidem tam largis inuitari promissis Apostolorum Principem*

pem videmus, vt hoc demandatum à Saluatore munus accipiat. Sanè interrogationis huius pondus diu non examinassent ambitiosi illi sacerdotes, qui ob minimam mercedem, et propter nemorosum vnum domicilium, tuguriumve humile, frigidumve antrum in deuia valle, vbi habitare possint, se se custodes fore animarum profitentur. Sed non debet hæc mea apud vos, optimi sacerdotes, oratio efficere, vt qui super alios omnes timetis Deum, magnitudinemque vestri muneris agnoscitis, institutos labores metu periculorum omittatis. Vellem enim sermones hosce meos aliquo modo similes esse radijs Solis, quorum ea natura est, vt pro varietate rerum, contraria quædam efficiant; cernimusque ideo et mollescere ceras eorum appulsu, et obdurescere lutum. Nihil in hac sterilitate Mundi sine magno labore effici potest. Dixit vana de suis Dijs antiquitas, eos omnia laboribus vendere. Non semper expectanda tantummodo cælestis aura est, sed admouenda remis manus, ac deinde Diuina auræ fauor expectetur. Sed quid tandem? Voluptatibus etiam labor suus inest, non virtuti tantùm, quæ sola digna est, vt ipsius causa labor suscipiatur. Atque ideo, quanta et quàm noua, et quàm mira inuenere varij hominum labores, solicitudinesque, et industria? Cælestes illi Orbes, et immensa spatia

Cæli,

dentur. Orbes illi veluti dura quadam seruitute premi, et obligari; ac si momento vllo cessarent, totam repente Naturam hanc, atque vniuersitatem rerum concidere necesse esset. At nos impunè otiosi erimus, quietemque sine damno agemus, cùm id ne Soli quidem ipsi permissum sit? Immo, quò maiora sunt sidera, eo maiore etiam motu longiora spatia conficiunt; nec tanta consequerentur damna, si minores stellæ cessarent. Solemque siderum omnium amplissimum nunquam quiescere oportet. Soles nos animarum sumus, ò sacerdotes, quibus inutile otium est, quosque in perpetuo labore occupatos esse oportet, sicuti in concione sequenti nouis alijs rationibus, Deo adiuuante, demonstrabimus, vt verè hoc à nobis propositum magis ac magis vnicuique vestrum innotescat.

SE-

SECVNDA DIE Synodus eiusdem.

DE SACERDOTVM Laboribus.

CONCIO XXIX.

L*ABORIOSA si quid aliud sub Cælo, fratres, est militaris vita, quam matrem, et filiam simul laborum appellari licet. Eius enim imperio turres extruuntur, complananturque montes, et valles implentur, et cursus impetusque fluminum, veluti fræno iniecto, cohibentur. Ea noctes inquietas agit, nec interdiu partem vllam quietis videt; fatigat iuuenes, senesque macerat; domitrix est illa fortium virorum, recusatque et abdicat inertes. Itaque, rectè ego proposuisse vobis videor exemplum militum eorum, quos apud flumen cælestis nota distinxit, vt sacerdotalium laborum documentum id vobis esset. Nunc prosequens filum idem orationis, argumentumque idem, exemplum aliud minimè dissimile afferam.*
Genesis cap. 18. *Sedens Abrahamus flagrantissimo diei tempore ante tentorium suum, vidit venientes, et appro-*

pin-

pinquantes sibi tres liberali adspectu, honestissimisque moribus adolescentulos; quibus ille obuiam progressus, cum eos benignè reuerenterque salutasset, vt secum hora ea tam graui ac molesta esse vellent, dixit; addiditque, velle se lauare pedes eorum, et posse ipsos in amœnissima vmbra quietis aliquid, et cibi capere, ac deinde abire, si vellent. Ea benigna inuitatione hospites commoti, responderunt, placere sibi id, quod proponeretur, et in eo gratificari paratos esse. Tunc Abrahamus, veluti oblitus ætatis suæ, quæ iam grauis et fessa erat, oblitusque morum suorum, qui splendori generis, et magnificentiæ domesticæ pares erant, tanquam nullum domi seruum haberet, proripuit se se repente ad Saram vxorem, dixitque ei, vt farinam expediret; ac deinde progressus ad armenta sua ipse manu tenerrimum vitulum arripuit, tradiditque seruorum alicui celerrimè coquendum. Mox attulit butyrum, et lac, eduliumque delicatum ex eo vitulo confectum apposuit hospitibus suis, atque adstans ipse nutus eorum obseruabat, si quid fortè opus esset, atque ministrauit sedulò, donec mensæ sublatæ fuerunt. Venerandus hic senex, cuius etiam viuentis fama terrarum Orbem peruasit, ditissimus iste, et sapientissimus, et nobilissimus, et Deo vnicè charus, erit nunc vobis exemplo, sacerdotes, vt in muneris vestri

laboribus assiduè eum imitemini. Aptum sanè, verissimumque exemplum: sed quid tandem negligentes altaris ministros dicturos putamus, quo defendant se se aduersus sanctissimas actiones, quæ ab ipsis in altaris ministerio, animarumque gubernatione expectantur? Dicent, benignas illas inuitationes aulicum quoddam fuisse negotium, magisque ad voluptatem, quàm ad laborem pertinuisse, signaque tantummodò animi fuisse liberalis et magnifici, neque esse corporis cibatum cum animæ pabulo comparandum, ac nihil simile habere cum huius pauperis sacerdotis periculis et laboribus, qui non domi sua tranquillo otio fruitur, sed per montes, et valles noctu, diuque gregem suum propè dispersum quærit. Quinimmo dico ego, pastores animarum, templorumque custodes, exemplum hoc aptissimum esse moribus vestris posse, si quidem id, quod nunc dicturus sum, attendere voletis. Si Abrahamus, si inclytus ille senex intra domus suæ circuitum, tam multa fecit et instituit, vt viatores quosdam hospitaliter et benignè tractaret, quos antea ne nouerat quidem; si ad peregrinos et aduenas aliqua honoris significatione recipiendos, et ad defessas eorum corporis vires recreandas, et reficiendas, tantum laboris, et diligentiæ insumitur atque adhibetur, quid tandem pastori animarum faciendum erit, vt animas

ipse

ipse suas alat, vtque salutem inueniat filijs suis, et Christi gregem seruet, et diuina domicilia, templa, et aras tueatur? Itaque, exemplum illud, quod attulimus, tantò vnicuique nostrum efficacius esse debebit ad persuadendum, quantò minus aptum et opportunum fortaße videri alicui potest. Ingentem ideo campum aperit nobis sacerdotibus explicata illa narratio, in quo nostrarum actionū formam intueri possimus. Tam auidus exercendæ liberalitatis fuit Abrahamus, vt ne moram quidem exiguam pati potuerit; sed protinus obuiam ierit, hospitesque benignè sit amplexatus. Nimirum etiam nos alacriter obuiam ire laboribus, difficultatibusque oportet, quæ in animarum curatione versantur. Eæque difficultates prospiciendæ sunt, vt superentur, non vt fugiantur. Neque expectanda sunt lamenta subiectorum, antequam opem feras: neque parcendum exigui itineris labori, vt modicè distantem ab tua domo ægrotum inuises. Ac sicuti dictum fuit, eos, qui bella tractant, non debere expectare rerum euentus, sed anteuenire vltro, ne postea cogantur sequi fortunæ temeritatem, et impetum: sic eadem disciplina pastoribus animarum custodienda est. Neque verò dicendum est, si quidem belli leges spectentur, esse nobis cum hoste nostro pacem quoadusque nos saltu inuadit, iamque admouit tor-

menta muris, aciemque contrariam instruxit. Innumerabiles sunt eius naucleri solicitudines et curæ, qui pressam diuitijs nauim in portum deducere cupit; neque ventos ille tantùm cauet, sed scopulos etiam, famemque, et inimicos impetus, et domesticas insidias ipse reformidat, milleque oculos, et mille aures habere vellet, vt posset tantis malis remedia parare, quæ sibi in singulas horas imminent. Non igitur officium tantummodò nostrum erit deplorare miserias subiectorum, atque conlacrymari vnà cum illis, et quatere simul palmas, intuerique extrema pericula in vicino, et obuiam ire periclitantibus pallido vultu, ac tremulo corpore, atque tunc tantùm consultare de remedio. Talia qui agunt, rationis lumine, animique sensibus defecti sunt; hique ne bestiarum quidem prouidentiam, et sensum imitantur, quæ cubilia et nidos anxiè sibi prospiciunt, et parant. Imitantur quidem animal vnum tam fero, et inusitato instinctu, vt admiratus eiusmodi naturam Iob ipse, de ea sic prodiderit; Iob cap. 39. u. 15. & 16. Obliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laborauit nullo timore cogente. *Simul atque oua nata sunt, fera illa auis deserit ea, neque varios imminentes casus respicit, cùm obteri ferarum aliarum, et viatorum pedibus illa possint.*

Sta-

Statim vbi fœtus editus est, paterna cura omittitur, oblitaque solicitudinis, quæ animali cuilibet erga prolem suam insita est, nihil amanter, ac sedulò agit; siquidem eam timoris stimulus haud pungit. Durißimis eiusmodi struthionibus comparari non debent eorum patrum viscera, quos paterna charitatis et amoris exemplum eße oporteret, cùm non corporum solum, sed animarum etiam cura illis incumbat, in quarum salute procuranda, varia et multiplex solicitudo eße debet. Vt tres illos aduenas et peregrinos hospitio solummodò exciperet inclytus ille senex, et hospes; vtque ad exiguum tempus benignè eos et honorificè tractaret, quàm multa vno tempore prouidit, ac fecit? Adhibuit preces, inuitauit comiter, dedit signa mansuetudinis erga eos, et obsequij, reuerenterque egit, suasit illis quietem, obtulitque cibum, et lauare pedes instituit. Quot ille formas, atque personas induit, vt prolixè ac benignè tractaret hospites suos? Neque cura illa animarum erat, neque pastorale negotium, et cæleste, sed cura tantummodò domestica, ò sacerdotes. Quam sanè curam ita exquisitè, minutèque descripsit Dauid, vt eam imitari deberemus omnes, qui præsumus aliorum saluti. Perambulabam, *aiebat ille*, in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos Psal. 100. u. 2. & seq.

rem

rem iniustam: facientes præuaricationes odiui. Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. *Atque grauissimi Psalmi huius sententiam, ac præcepta intuentem me subit attenta quædam contemplatio Regij Vatis, quem neque celeri properasse gradu, neque lentè nimiùm ac tardè egisse, neque veluti truncum domi fuisse video, sed plenum maiestatis incessum adhibuisse, motuque corporis fuisse, qualem diuinis etiam rebus adhiberi oportebat, cohibendo solicitudinis impetum prudentiæ fræno. Ideo violenta consilia, licet Zelum et ardorem quendam præseferant, non semper apta saluti animarum, diuinisque rebus erunt, ficuti ineptè plerique esse arbitrantur. Maturitas autẽ illa consilij, quæ necessaria est, acquiretur innocentia morum, quæ muneris et officij nostri esse funda-*

da-

damentum debet. Dominabatur Propheta in suos, ibique summum imperium obtinebat: sed nihil unquam ille imperabat, vel quod iniustum iniquumve esset, vel quod detrimenti et damni, vel offensionis scandalive esse posset; ideoque oderat impiorum vitam, et mores, tanquam ipsius vitæ, ac moribus planè contrarios et inimicos. Atque in eo reprehendenda est violentia sacerdotum nonnullorum, qui immodicè, et inconsiderate abutuntur ea potestate, quæ ipsis tributa est, ac temerè imperant ea, quæ imperare minimè deberent; neque modum adhibent eum, quem adhibere oporteret. Si ipsi verè peccatum odissent, vitarent eorum amicitias, qui suis opibus ad peccandum abutuntur; atque tyrannidem in pauperes exercent. Propheta idem, quia moribus innoxijs erat, non patiebatur apud se esse diutiùs improbum vllum hominem, sicuti facitis vos, dum propinquos eos domi habetis, qui vestrum simul, suumque nomen actionum fœditate dehonestant. Hi quidem admitti in conspectum vestrum minimè deberent ad Regij Vatis exemplum, qui non solum publica facinora, sed occultos etiam obtrectatores acerbißimè puniebat. Quæ quidem omnia propriè designabant odium aduersus peccata, zelumque feruentem illius, qui minister idoneus Sacramentorum esset. Sacramenta sanè ipsa, cùm

pu-

purissimæ res sint, et ab omni contagione remotissimæ, deberent etiam administrari per eos, quorum vita omni labe careret. Ideò inclytæ illius domus administri ita describuntur; Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. *Quod perindè fuit ac si diceretur. Fauebam ego iustis hominibus, ac libentissimè cum illis sedebam, atque sceleratorum omnium commercium adspernabar: atque ideò hæc subdit*; Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. *Non possunt hoc loco latibula sibi quærere vlla confusi pudore sacerdotes, neque occludere aures, neque abdere se alicubi, vbi grauissimæ huius insectationis vocem non exaudiant, qui scilicet coopertos flagitijs homines pertulere ad multos annos, atque in templa, nullo ad sanandos eorum animos adhibito remedio, admisere. Nonne domus ista Dauidis est? Nonne sacratæ templorum leges? Necentur impij, vt in altera vita salui esse possint. Ecclesiasticæ pœnæ, ò sacri custodes animarum, publicæ salutis causa comparatæ atque institutæ fuerunt; licetque pastori nonnunquam ouiculam*

aliquam

aliquam à cætero grege semouere, neque id impetus, et ira, et crudelitas, vt alij fortasse arbitrarentur, sed cura et solicitudo erit. Iam mihi obstrepat ignarum vulgus, dicatque, satis esse Pastoribus, si peccata confitentium audiant in Paschate, festisque diebus celebrent. Tam multiplex fuit cura suscipienda terrarum Regi, vt familiam suam rectè, atque ordine administraret; neque par cura ad multitudinem curandam necessaria erit sacerdoti, quem turba solicitudinum, et molestiarum assiduè circumstat? Itaque cùm sit amplissimus atque spatiosissimus hic regendi animas campus, sunt nobis vndique quærenda auxilia; neque licet credere, posse nos absque aliorum auxilio, sufficere muneri, quod sustinemus. Abrahamus quippe etiam ipse, vt hospitibus suis honorem haberet, adijt statim Saram vxorem, totumque famulatum occupauit, neque in vlla tentorij parte quicquam esse passus est, quo abundè non vteretur. Quisquis vestrum oblata auxilia recusat, suum agnoscat errorem, seque meis verbis, et narrationis huius auctoritate argui patiatur. Culparum quisque suarum veniam imploret, importunæquè temeritatis accuset se se in eo, quòd necessaria ad gregis curam auxilia contemnit. Huiusmodi homines feris bestijs potius, quæ nunquam inter se congregantur, comparari debent,

quàm hominibus, quibus pars aliqua humanitatis insit. Num tanta tua cæcitas est, vt necessitates ipse tuas videre non possis? Cùmque populum amplissimum regas, pudor erit auxilium alienum
Lucæ cap. 5. u. 7. *inuocare? Legisse vos arbitror, Apostolos ipsos, cùm multitudine piscium retia disrumperentur, socios suos, qui naui alia vehebantur, inuocasse; qui in partem operis assumpti, multum piscium extraxerunt, et ingens illa captura facta fuit. Est fortasse pudor aliquibus, quòd manus ipsis, et brachia fulciantur aliena ope, sicuti in montis vertice*
Exodi cap. 17. u. 12. *Moysis manus in conspectu populi sustentauere sociorum manus? Intuere ex longinquo illum veneranda canicie senem, cuius fama per terras omnes dissipata erat, cuiusque virtus humano fastigio erat maior; atque exemplo hoc proposito, disce quàm temerarium sit alienam opem in hoc munere Angelorum repudiare. Qui sanè Beati Spiritus, in hominum cura, si ita loqui liceat, non recusant ipsorũ hominum auxilium ad ea peragenda, quæ nostram salutem spectant; amantque simul hominum ope suas augeri cogitationes, miramque curam, quam nostrum suscepere. At nos in Angelici muneris cura subsidium humanum adspernabimur? O temeritatem audacissimam, impudentiamque detestandam! Quomodo poteris alienæ saluti consulere, cùm te ipsum perdas?* Qui sibi

ne-

nequam est, cui alij bonus erit? *Sed humanis etiam momentis examinata res ad insaniam miserabilem vergit, eoque nomine in sacris Litteris appellauit Iethro; siquidem vana virium fatigatio, vel animi, vel corporis tali nomine notanda est. Non solum admittenda sunt vobis auxilia, si quæ offeruntur, sed gratiæ etiam agendæ, si diuino munere contingat vobis, vt alterius auxilio eas officij vestri partes, quæ alioqui desiderarentur, explere possitis. Quòd si Deus ipse, velut ille, qui tenens debitorem, suffocabat eum, dicens,* Redde quod debes; *nobiscum acturus esset, nonne ille, vti rerum omnium Dominus, id iure suo agere posset? Sed eiusdem misericordia, quæ nunquam auara, pastorum necessitatibus satisfactum est, vt multa vobis auxilia suppeterent; idque munus non tam vobis, quàm gregi ipsi vtile, veluti præcipuũ ac singulare quiddam, amplecti et venerari debetis. Quid tandem contradicetur? An fortasse superuacaneum esse subsidium? Quis id ipsum affirmare poterit, cùm salus animarum non perinde atque cultura, messisque camporum sit; cumque earum, siue salus, siue ruina, nullis oculorum indicijs, nullave experientia æstimari possit? Dico ego, cuilibet probo homini, religiosoque præsertim, cauendum esse, ne salutis suæ iacturam faciat, neve peccandi periculo se committat. Quod sanè periculum*

Ecclesiastici cap. 14. u. 5.

Exodi cap. 18. u. 18.

Matth. cap. 18. u. 28.

imminet semper ei, qui auxilia opportuna negligit atque repudiat. Sunt item aliena consilia, sententiaque maiorum audienda; eaque necessitas sapientes etiam, et sanctos habet. Illis autem, qui hæc contemnunt, nihil aliud restat in ipsorum vitæ cursu experiri, quàm ineuitabile diuini supplicij telum, de quo non est hic dicendi locus. Apud diuini iudicij tribunal homines huiusmodi, sicuti cæteri, expectare debent, se aliquando causam dicturos. Quam tunc excusationem afferre poterunt, nisi fortasse tenuitatem virium, exiguam doctrinã, ignorantiamque suam? Sed quomodo tandem id ipsum facere poterunt, cùm auxilia et oblatam opem adspernati fuerint? Quid igitur respondere poterunt? Fortasse id ipsum, quod referre me piget. Sanè speculari in hac re causas occultas, superuacaneus labor est: quandoquidem duobus fortasse verbis satisfacere dubitationi huic possem, ò sacerdotes; nouam scilicet vtilitatem, damnumque aliquod; quod sequeretur ex impensis, si largius quandoque solito fierent, voluptatemque aliquam, qua quis fruitur, dum se solum esse videt, et liberum à molestia, et incommodis, quæ parit conspectus alterius, qui vitæ et morum testis esse possit. multa mala Vniuersitati huic singulis horis afferre. An igitur pluris fient minuta ætia, quàm animarum salus? O sordes, ò labem et cœnum!

num. Neque verò existimet quisquam, in hoc argumento versari me diutius, vt vobis persuadeam parcendum esse labori, dedendumque pigritiæ animum. Potestis enim videre senem Abrahamum tentorio toto discurrentem hospitum nonnullorum causa: Is senera quadam comitate disponebat cuncta et ordinabat, nunc sernos alloquebatur, nunc hospites ipsos, et multis vno tempore officijs occupabatur. Atque cùm in humilis versaretur opere, nihil à persona suæ decoro et maiestate degenerabat, et significabat scire se parere simul, et imperare. Sanè temporibus antiquis mira species fuit Dauidis saltitantis ante arcam, atque exultantis letitia, quantam nunquam antea declarasset. 2. Regum, cap. 6. u. 13.

Aduertendumque est, sacram rem fuisse arcam: iusseratque Deus eam in honore haberi; et maximæ res ex eius mysterij sanctitate quotidie prouenicbant: ac tanta Israelitarum alacritate celebratus ille dies fuit, vt nihil simile spectatum vnquam fuerit. Magnanimo igitur spiritu Regius Propheta arcam Dei venerabatur: sed non minus laudanda fuit Abrahami charitas erga hospites suos. Non enim satis habuit comitate verborum, et discursu vario per ædes, omnique liberali sermone eos detinere; sed cõmiter cibum obtulit, parauitque illis conuiuium, prout tunc opes, et mores erant. De cuius Patriarchæ liberalitate egre-

gia,

gia, spiritu, et generoso pectore libenter ego nunc loquor, vt arguam illos, qui ne nummulum quidē vnum insumunt, vt miseris ouiculis suis pascua parent. Non hi publicum bonum, non gloriam diuinam, non maximas animi vtilitates, et egregia facta, sed vile tantummodò lucrum intuentur. Ii, si quando eos inuasit teter morbus auaritiæ, tanquam insanirent, ea vecordia vexantur, vt pretiosissima gemmarum à lapidibus alijs minimè dignoscant, nihilque aliud esse in rebus humanis putent præter illud, quod ipsi quærunt lucrum, atque emolumentum. Itaque turpissimè atque ignominiosissimè egere Dauidis fratres, qui generosi adolescentuli animum turbauere, exprobrando ipsi quòd paucas in solitudine ouiculas deseruisset, et ob id increpando ipsum iracundè; Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia vt videres prælium, descendisti. *Tunc infelices illi vile lucrum intuebantur, et amissæ pecudes auaritiam eorum stimulabant, dum populus vniuersus ad expugnandum infame illud, et horribile Goliæ monstrum attentus, attonitusque staret; dum generosi ipsi duces trepidarent, sapientesque etiam viros expectatio tam ancipitis finis solicitos haberet, redderetque illos quasi sine sensu: tunc, inquam, amissas*

1. Regū, cap. 17. u. 28.

pe-

pecudes in memoriam reuocantes, obliuiscebantur excelsum animum illius, qui sua manu et vrsos, et leones transuerberarat. Sed agite ministri altaris, excutite sordes auaritiæ, longèque absint à vobis eiuscemodi fœdi affectus: et aperta quisque voce verba illa proferat, quæ protulit vnus Regum, dum in fortunarum omnium periculo versaretur; Da mihi animas, cætera tolle tibi. Genesis cap. 14. u. 21. *Proijciatur domestica supellex, aurumque, et argentum, dummodo saluæ animæ conseruentur, quæ nobilitate res omnes humanas antecedunt. Viuant, inquam, animæ vita illa, quæ nunquam moritur, ò sacerdotes: ac cætera permittantur Opifici Terrarum, et Cæli, qui Solis cursum, et siderum motus gubernat, statuatque idem de nobis, prout iustissima illius voluntas ferat.* Da mihi animas, cætera tolle tibi. *Hostes et inimici, sumite id, quod vobis lubet, dummodo saluum ego Christi gregem videam. Ac si Deo ita placitum sit, ausim dicere, ingruant in me Inferorum Dæmones, sæuiantque velut in alterum Iobum, dummodo ego alienæ saluti consulam. Nihil anteponendum diuino obsequio, diuinisque legibus; magnaque mihi diuitiarum accessio fiet, si in hoc tam præclaro laudabilique munere pauper et inops euadam.*

TER-

TERTIA DIE Synodus eiusdem.

DE SACERDOTVM Laboribus.

CONCIO XXX.

Ad Galat. cap. 4. u. 19.

FILIOLI mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, *inquit olim magnanimus ille, et inclyti nominis Apostolus, qui charitate totus ardebat, cælestibusque flammis. Iam qui dolorum æstus, quæve tormenta sunt hæc, sacerdotes, quæ tantoperè extolluntur, parturientiumque doloribus æquiparantur? Atqui sic loquitur ille, cùm tamen seruorum Dei mos is fuerit semper, vt sua merita imminuerent potiùs verbis, quàm extollerent. Sic nimirum etiam David ipse, postquam thesauros immensos in magni templi ædificationem seposuisset, de thesauris illis locutus esse fertur*; Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui

1. Paralip. cap. 22. u. 14.

ad

ad vniuersa impendia. *Istane igitur sunt minutissima impensa, quas Numinis tui templo, magne David, apparasti? Tantum insumere meditatur exiguus animus tuus, inclyte Rex, cuius liberalitati et munificentia ne Terrarum quidem immensa spatia sufficerent? Tales nempe mores hominum sanctorum sunt, qui, cùm amplissimè magnificentissimequè egerint, nihil se putant egisse. Caterùm, inuestigantes nos aliquantò altiùs mysteria huiuscemodi sermonis, credere oportet vnà cum Sancto Anselmo, genuisse Apostolum iam antea concionibus suis prolem illam, qua postea à falsis magistris in fraudem inducta, deseruit charum adeò magistrum, et parentem. Quàm cito tellus humani animi inarescat, pereatque prateriti laboris fructus, et quantus dolor occupet pastorum animas, cùm momento temporis vno dilabi atque euanescere videant ea, qua diuturnis ipsi laboribus pepererunt, diligenter hoc loco considerare possumus. Graues huiusmodi casus et acerbi prouenientes ex humani animi leuitate, tunc collecti in vnum apparuere, cùm Moyses populi querimonias audiuit post innumerabilia illa beneficia, sensitque, vecordes illos, repudiato manna, lacrymantibus oculis exposcere carnes, et pisces, atque allium ipsum, et porros. Tunc inclytus Propheta, plenus iracundia, de calamitate sua conquestus est,*

Anselmus in cap. 4. Epist. ad Galat.

Num. cap. 11. u. 10. & seq. *ac de ea re ita scriptum legitur*; Sed & Moysi intoleranda res visa est, & ait ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum? Vnde mihi carnes vt dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar

Exodi cap. 15. 16. 17. & 32. malis. *Multò antea populus ille rebellis oblocutus fuerat ob aquas, et cibos, vitulumque pro Dea adorarat, neque tunc primùm ob insanos illos appetitus tumultuari visus est, et ingemiscere: nunquam tamen querimoniæ tam graues auditæ fuerunt, quales fuerunt illæ, cùm diceret, non posse populum illum vltra sustineri, onusque intolerabile esse, mortemque anteponendam ei grauissimæ vitæ, quæ tantis molestijs et ærumnis plena esset.*

Ioan. cap. 16. u. 21. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autẽ peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus

est

est homo in mundum. *Ea est molestiarum istarum natura, quæ molestias alias omnes superāt, vt intra præscriptos suos fines consistant, neque semper inchoentur, quin cessent etiam, et finiant: partus autem isti spiritus sæpe simul atque nati sunt, moriuntur, ac deinde renascuntur, et occidunt rursus. Quilibet nostri spiritus filius, ò parentes animarum, dolorum agmine stipatus incedit, milliesque nascitur nobis, et millies etiam deperit nobis. Qui dolores et tormenta Apostolus pluribus locis quàm sint perpessu aspera, ostendit*; Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. *Et alibi*; Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc. *Itemque scriptum reliquit*; Supra modum grauati sumus supra virtutem, itaut tæderet nos etiam viuere. *Legiturque pariter*; Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs. *Et etiam*; In

Ad Roman. cap. 9. u. 2.

1. ad Corinth. cap. 4. u. 11. & seq.

2. ad Corinth. cap. 1. u. 8.

2. ad Corinth. cap. 6. u. 4.

2. ad Corinth. cap. 11. u. 23. laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. *Quàm calamitosa et ærumnosa fuerit eius vita, non attinet pluribus narrari. Eiuscemodi aculeos, spinasque crudeles, et clauos, et lanceas aßiduè perpeti nos oportet, sacerdotes. Hæc est nostra vitæ ratio, atque hæc capienda sunt experimenta officij nostri, vt vnusquisque certißimè sentiat, atque experiatur, quàm affluant ipsi mundanæ vtilitates, atque oblectamenta. Origo autem tot damnorum atque molestiarum inde est, quia patres sumus earum animarum, quas peperimus honori et gloriæ Christi ipsius. In verbis igitur illis, quæ paulò antea retulimus, animaduertendum est, Moysen deplorasse molestiarum suarum pondus, easque incusasse, quia nempe non erat ipse populi pater, neque eum genuerat.* Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo. *Tu igitur, sacerdos, si pater es, iniustè lamentaris ob grauißima onera, et pœnas, quæ tibi iustè iniunguntur: quinimmo calamitatem omnem existimare leuem et facilem debes, eamque libenter perferre. Verùm ego in tot annorum cursu, curaque gregis tanti, quodnam testimonium laborum et sudorum, et periculorum, et damnorum afferre vobis poßum, venerandi sacerdotes? Si Apostolus*

alta

alta sua prædicatione genuit peperitque filios eos, sicuti Sanctus Anselmus locum eum, quem recitaui, interpretatur; nescio ego, an continuis concionibus meis aliquem genuerim atque procrearim. Trigesima hæc est concio, quam in actionbus synodalibus, atque conuentibus apud vos habui, fratres mihi charissimi. Atqui si nullus ex ijs fructus constaret adhuc, manifestum est, strictas nimium esse hac in re maioris Sacerdotis partes, esseque illi multos, grauesque labores, pœnasque varias subeundas, vt persuadere possit. Quàm chara etiam et accepta Deo sit magnanima hæc et admirabilis cura, exemplo hoc, quod proponam, planum fiet. Imminebat iam Ægypto, et Æthiopiæ supplicium extremum, quæ vtraque amplissima Regna Assyrij innumerabili exercitu aggredi parabant, ne relinquerent intacti et integri quicquam, quin auferrent omnia, et prædarentur. Itaque Deus, vt fidem faceret imminentis supplicij asperitati, eamque quasi repræsentaret ante oculos, sic Isaiæ dixit. Abijce, Isaia, horridam istam vestem, nudisque pedibus toto triennio fac conspiciaris; nimirum, vt ex adspectu tuo deformi, futuri supplicij magnitudinem homines intelligant. Non satis est Deo verborum copia, eloquentiaque communis, vt populo persuadeatur: sed præter humani sensus consuetudinem, pro oratione rem ipsam adhiberi Isaię cap. 20 n. 2.

vult

vult ad persuadendum. Graue eius mandati pondus et acerbitatem sensisse Prophetam credibile est, quippecum Regiæ stirpis esset, summèque apud populum honoratus. Vos nunc ego, diuini Vates, Doctoresque populorum, et Sanctorum agmina, qui nullam vnquam partem quietis vidistis, vos milites generosi, et inuicti Athletæ, qui nunquam hausistis terrestrium aquarum latices, vos, inquam, nunc inuoco, et humiliter imploro, vt multitudinem hanc sacerdotum ad assiduos hortatione mea labores incitare possim. Nunquam vos infantes fuistis, sed propugnatores acerrimi semper; neque vnquam vester fortis animus ad voluptates, deliciasve deflexit, sed eas excelso animo proiecistis humi, ventisque auferendas dedistis. Scitis vtique quantæ sint sacerdotum solicitudines, et solicitudines maximè curandarum animarum vos sæpe vestris humeris experti estis. Neque tamen vnquam ignauia, vel timore, vel humanarum rerum respectu tardati, nobile hoc officium omisistis, quippecum sciretis cedere labori omnia, laboremque bonorum omnium esse effectorem et parentem, laboreque dissolui multorum vitam, et laboris denique magistros esse cælestes Orbes perpetuo suo et irrequieto motu. O gloriose Abrahame, hospes cælestium illorum Spirituum, qui humana figura induti, simulauere quietis desiderium, vt

cha-

charitas tua interim appareret, doce gregem hunc meum sacerdotum amplecti læto vultu molestias, laboriosamque vitam, absurdumque esse damnis erudiri tantùm, cùm sapientes homines etiam in rei domesticæ administratione circumspiciant omnia, quò rectiùs eam gubernare et administrare queant. Quòd si deerunt alicui vires ad pastorale hoc munus rectè obeundum, fateantur liberè, auxiliumque implorent, sicuti in periculis ab hominum societate fit, quæ procul ab silvestrium animantium more vivit. Resonet nunc, ò Paule, clariore sono tua inclyta tuba; spirituque tuo ardenti ita excitentur pectora, vt sentire saltem possint dolorum tuorum partem, dum scilicet egregij tui partus Mundum Gratiæ, et Euangelij fœcundauere. O paternæ curæ, in quibus nostram consumi vitam oportet, quàm graues, intolerabilesque estis! Tam duræ sunt pastoralis curæ leges, quæ è Cælo præscribuntur, vt ne verbum quidem proferre vnum possimus lamentandi causa, sed silentio tegi mœrores nostri debeant. Atque ideo mœstæ huic et querulæ nostræ orationi finem etiam imponamus.

PRI-

PRIMA DIE Synodus

ANNI M.DC.XVI.

DE NEGLIGENTIA Sacerdotum nonnullorum.

CONCIO XXXI.

ARBITROR, venerandi ſacerdotes, dubitari poſſe maiorne cauſa mihi ſit agendi vobiſcum de ea re, quam ipſe mihi propoſitam habui, antequam in hunc locum venirem, an verò mœſto ſilentio tranſmittendi ſolennem hanc actionem, et occulta querimonia ſtatus mei conditionem deplorandi. Scimus omnes, conditionem hanc eſſe præcipuam officij paſtoralis, vt verborum ipſorum ſono regantur oviculæ, ipſæque vocem noſtram, vti ab aliorum voce diuerſiſſimam, intelligant, ac ſequantur. Ioan. cap. 10. u. 16. *Memini præterea legiſſe me talia quædam apud Prophetam Ezechielem, quæ ipſi Deus ſalutis populi cauſa*

causa imperauit. O speculator; quod perinde fuit ac si diceret. O sacerdos, et propheta, pastorque animarum, si videris ex longinquo fulgurantem Dei gladium, populoque comminantem, neque populum vocis tuæ tuba monueris, proculdubio reddenda tibi ratio erit sanguinis eorum, quos illo die diuina ira absumet. Sed cum verum hoc sit, tum illud quoque verissimum est, post varios meos de sacerdotum nonnullorum culpis ex hoc loco habitos sermones, tempus iam videri tandem absistere ab argumento hoc, et parcere verbis potius, quàm in hac solenni actione, amplissimoque ecclesiasticarum personarũ consessu rem tractare humilem et abiectam. Planè prospicio, sacerdotes, non posse me tollere caput humo, sicuti vellem, immo vix concessum esse mihi intueri Cælum. Nunc pene interdicta mihi sunt solatia suauium, sanctorumque sermonum, quos vobiscum habere poßem de sacrarum Litterarum mysterijs, de ratione et via, qua commodiùs, et celeriùs sacerdotalis perfectionis metam assequi valeatis. Cogunt enim mores vestri, vestraque neceßitates aliam instituere formam orationis, tantùmque de peccatis et culpis agere necesse habemus. Atque argumentum sermonis huiusmodi aptius esset agresti alicui incultoque populo, quàm sacro huic cœtui per tot annos erudito religiosæ vitæ præceptis et disciplina.

Ezechielis cap. 33. n. 6.

Inter cætera autem molesta et acerba, quæ loqui nunc cogimur, acerbißimum erit audire, non exiguum esse numerum eorum sacerdotum, qui summa negligentia summaque incuria parant sese ad Sacramentum altaris obeundum. Nihil facilius est, sacerdotes, quàm egredi domo, celerique passu adire templum, sacrificalemque ornatum sumere, ac deinde celerrimè, et audacißimè accedere ad aram: nihil, inquam, facilius est, ò filij; sed nihil etiam est, quod maiorem horrorem inijcere animis debeat. Cito vobis laudabilia huius Ecclesiæ instituta excidêre, ac præsertim ea, quæ sanctißimus Pastor Carolus præscripsit ac sanxit. Tam facilè igitur, improbi discipuli tanti Doctoris, potuistis abijcere memoriam sanctorum rituum, atque institutorum, quibus imbuti fueratis, dum intra ecclesiasticæ disciplinæ domicilium nutriremini, matutinisque meditationibus assuesceretis præparare animum, vt dignè possetis obire rem diuinã, sacrumque officium recitare? An fortasse dicetis, ea instituta pertinuisse tunc ad ætatem tantummodo illam, quæ immatura, et fermè rationis expers erat? Minimè id quidem. Animis vestris esse persuasum debet, non infantum ac puerorum causa disciplinam eiusmodi fuisse institutam, sed institutam quidem fuisse, vt ea duce et magistra, robustior ætas, et maturi iam anni conformarentur.

tur: Sed quomodo tamen ego de animi humani sensibus, qui sunt impenetrabiles; iudicium feram, ò filij? Iudicium huiusmodi meum est. Dum video ego sacerdotem paulò antequàm sacro vestitu induatur, nugantem atque cauillantem, hylarique vultu renidentem, haud timeo temeritatis notam subire, si pronuntiauero, animum illius esse dissipatum, vanèque et inutiliter cogitantem. Neque postea mirandum est, quod multi sine fructu vllo transigantur anni, sumendo sacrum illum cibum; miraremur enim potius, si quasi inuiti cælestem illum thesaurum consequerentur. Imitamini, vecordes et otiosi, exemplum eorum sacerdotum, qui nihil eorum agentes, quæ vos agitis, vobiscum hic sedent. Sunt enim lucernæ populorum, et ecclesiarum positæ super candelabra, suntque vrbes in montis vertice collocatæ, in quibus sanctæ actiones cum improborum pudore fulgent ac nitent. Nescio ego, an multi vestrum dicere possent mihi, quam ob causam diuinæ gratiæ calor protulerit tam varia religiosi moris instituta, cùm alij intra vrbes abditi claustris, fugiant hominum cœtus, curasque; alij, quasi nondum hoc vitæ genere contenti, eremos petant, vastasque solitudines, et per deuia desertaque loca assiduè errent. Quantum ego existimare possum, id præcipuè fit contemplationis studio, et rerum earum cui- Matth.cap.5.u.15.

tatione, quæ turbare mentem humanis curis, eamque humanarum rerum cœno inficere potuissent. In antris igitur profundis, densisque nemoribus Eremitæ habitauerunt, siluestremque illam vitam insuper asperauere ieiunijs, et vigilijs, et verberibus, et manuum labore, vt contemplando, et orando viam aliquam inuenirent ad Deum: nos verò, nostris sumpturi manibus vnigenitum Dei Filium, nosque intra nostra viscera augustissimum altaris Sacramentum recepturi, veramque illam Christi carnem manducaturi, et bibituri sanguinem, nihil industriæ, solicitudinisque nihil adhibebimus? Quid iam mihi respondetis, fratres? Quid respondetis, filij? Si falsa ratio est hæc, scire velim, quomodo res se habeat: sin vera, cur non memores eius estis omnibus horis? Delecti iuuenes olim ad Regis ministerium, sicuti apud Danielem est, per tres annos præparabantur. Ita enim legimus; Vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu Regis. *Vbi primùm in Regiam ingressi erant, diuersum quendam adhibere cibum, et potum debebant, quàm cui insueuissent. Diuersa penitus esse debebat ratio vitæ eorum, planèque mores noui, itaut et vultum, et naturæ conditionem ferè mutarent, non tantum animum, et sensus, et instituta. Non illi temerè ad Regem accedere poterant, sicuti plerique vestrum temerè*

Danielis cap. 1. v. 5.

di-

diuina altaris mysteria tractatis. An fortasse aliud exemplum requiritis, quo negligentia ista vestra magis arguatur? Exemplum sumite hoc. Petierat Salomon ab Hiramo nonnulla templi extruendi causa: sed vt sciret ille, agnoscere se suas opes tanto operi minimè pares, dixit in animo esse sibi locum tantummodo præparare aliquem, in quo adolere Numini thuris aliquid posset. Cur autem maiora non petierit, hæc ipsa verba declarant; Quis ergo poterit præualere, vt ędificet ei dignam domum? Si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, vt possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantùm, vt adoleatur incensum coram illo. *Si tibi ad aram tantummodo accedendum esset, contremiscere vtique deberes: sed non solùm accedis ad aram, verùm etiam intra pectus ipse tuum veram Christi carnem accipis, teque Saluatori domicilium præbes. Obsecro, sacerdos, reputa nunc mecum, quàm reuerenter tractaretur antiqua legis Arca, siquidem noluit Salomon vxorem suam Pharaonis filiam in ea tecta pedem inferre, quæ Dauidis sui patris temporibus Arcam olim illam habuissent. Et quoniam locus ille sacer totus, et augustus ob eam rem habebatur, nouum, et magnificentissimum Reginæ palatium Rex ille extruxit. At vos, sacerdotes, absque respectu vllo ad diuinam mensam acce-*

2. Paralip. cap. 2. u. 6.

2. Paralip. cap. 8. u. 11.

accedetis, agetisque in ea, vbi mysterium Arca, et thure longè augustius, et sanctius celebratur. Adeste mecum, temerarij sacerdotes, et rem dictu, visuque horrendam considerate. Ostendam vobis delubrum, cuius Idolum, et simulachrum concidit, atque dissilijt in multas partes, tremulosque ministros ad portas videbitis, non audentes calcare pauimentum illud, quod concidens statua tetigerat. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem. *Quo nomine appellanda est, ò sacerdotum cætus, temeritas illius, qui statim vt ex choro, vel ab ara discessit, polluit se se rebus humanis, neque cogitat, intra suum pectus diuinum altaris sacrificium paulò ante sumpsisse? Quo nomine tale scelus appellandum est? Diceturne impietas, sacrilegium, an odium, an ira erga res diuinas? Tantopere igitur salutem ipse tuam contemnis?* Concipietis ardorem, parietis stipulam, *audite quicunque in Ecclesia ministerio vitam agitis*, spiritus vester vt ignis vorabit vos. *Vos ipsi vobis causa incendij eritis. Vos ipsi vosmetipsos offendetis. Stipula simul et ignis eritis, et materiam igni prabebitis, carbonesque ipsi vobis accendetis, et diuina ira flammam excitabitis*. Et erunt populi quasi de in-

1. Regum, cap. 5. u. 5.

Isaie cap. 33. u. 11.

Ibid. u. 12.

cen-

cendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. *Vnde postea nascetur, miseri et infelices, vt vos, veluti spinæ, comburamini statim, et in cinerem dissoluamini.* Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. Ibid. u. 13. *Quilibet intelligat, quàm sint magna supplicia, quæ superioribus temporibus, præsentique memoria experti sunt sacerdotes, qui paruifecerunt diuina mysteria, et sacramenta.* Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Ibid. u. 14. *Nominibus hisce debuere appellari homines huiusmodi, quoniam eorum habitus, et officium, et conditio moribus ipsis contraria est. Quomodo adhuc vsque, sacerdotes, euitastis diuinam iram, ne vos ipsa deuorarit? Quomodo nunc in flammis, et in media diuinæ iræ, et vltionis fornace viuitis?* Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Ibid. u. 14. *Et quoniam graues culpæ, qualis ista est, non tam facilè creduntur, quæruntur que diuersa testimonia, quibus ea conuincantur, ideo, si qui fortasse dubitarent de rebus illis, quæ iam exposita sunt, vellentque sacerdotes improbos defendere, potero ego coniecturas afferre quasdã, argumentaque, et signa, quæ verum patefaciant, eaque non aliunde petita, quàm ex eo, quod videmus omnibus horis, quodque clarißimè ac mani-*

festis-

festissimè cunctis apparet. Quam curam credimus nos agere circa animæ suæ puritatem eos sacerdotes, quibus minimè cordi est altarium nitor, vestisque sacræ, et supellectilis Ecclesiasticæ? Videturne vobis leue hoc esse argumentum et infirmum? Si anima illa purgata esset, quàm studiosè coleret munditias, splendoremque altaris? Scribit Deus in puluere illo vestras labes, ò pastores animarum, cùm eiusmodi puluis in altari fœdè creuit; eaque difficiliùs delebuntur, quàm si in marmore scripta essent. Nigra porrò illa propter immunditias vestis, et fœda velamenta quomodo tandem repræsentare poterunt Diuinæ carnis puritatem, atque splendorem? Ideo superioribus temporibus proferebantur in synodorum conuentus sacra vasa, et libri, vt ab Episcopo comprobarentur. Debent vobis summi esse terroris verba illa, quæ Saluator pronuntiauit; Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me. *Pauloque post subdit;* Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Iam si Saluator tanta efficacia, tantaque verborum vi vult nobis pauperes esse commendatos, cùm personam tantummodo ipsius repræsentent; considerate nunc quàm grauis illa culpa sit, quæ committitur, dum ipsa Filij Dei persona indecorè*

Theodulphus ad Presbyt. Aurel. cap 4.
Conciliũ Miten. cap 3.
Matth. cap. 25. v. 35.
Ibid. u. 40.

decorè tractatur, non sub aliqua figura, vel similitudine, et exemplo; sed in vera sua et reali existentia; vt schola verbis vtamur. Mihi fecistis; *ò sacerdotes; non autem alteri, qui me repræsentet ac designet. Meum corpus, dicet Saluator in extremo iudicij die, dehonestatum iacuit in altaris puluere, squalidòque et fumoso ornatu. Cum vobis ego pauperes commendaui, dixique,* quamdiù fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis, *non tunc ipse vnus eram ex infelicibus illis, sed illorum quidem figura vobis designabar: nunc autem egomet ipse sum, quem toties in ara absque vllo decoro ornatu reliquistis; hæque iniuriæ ad me, non ad alios, pertinent. Nullum vobis arbitror esse sensum humanitatis, si verba hæc audita nihil perturbauere vestrum animum. Neque scio ego, cur tantum animi, et audaciæ nonnullis sacerdotibus esse poßit, vt non timeant repentinū aliquem, tremendumque casum ob Angelorum indignationem et iram, qui, sicuti Doctores multi affirmauere, circumstant altare cateruatim tunc, cum res diuina fit, sciuntque meliùs omnino, quàm nos ipsi, Cœlum quidem ipsum haud satis esse purum ac nitidum in Diuinæ illius maiestatis conspectu. Rexque Dauid, postquam pretiosißima quæque seposuisset ad Templi ædificationem, et ornamenta, conuersus ad fi-* Iob cap.15.u.15.

lium suum Salomonem, memorabilia hæc verba
1. Paralip. cap. 22. u. 14. *pronuntiauit*; Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui ad vniuersa impendia. *Tantum thesaurum contulisse paupertas erit? Egebitque apparatus iste excusatione, qua satisfiat honori templorum, ac maiestati sacrarum rerum, et sacrificiorum? Sed quæ tandem adhuc obtulere sacerdotes aliqui negligentißimi? Pigritiam fortasse, et negligentiam in templorum ornatu, in apparatu sacrorum vasorum, et vestis, rerumve aliarum, quæ ad diuina mysteria adhibentur? Sunt hæc igitur honorifica munera, quæ nonnulli vestrum offerunt, et obtulere altari? Patiemini, sacerdotes, esse paucos quosdam, qui nomen vestrum contumelia afficiant, ordinemque vniuersum deforment? Si aurum vbique adhiberi non potest ad sacros ornatus, serica saltem sit vestis; si non serica, lanea sit, agiteque modis omnibus, vt appareat, esse in terra illa sacerdotem, cui curæ, cordique sit, vt Deus honoretur, non autem vt contumelia afficiatur. Sint altaria paupere quidem, sed nitido cultu: humilitasque, non inertia sacerdotum ibi cernatur. Neque nunc ego vituperare*

de-

decreui quorundam populorum inopiam, atque paupertatem, sed potiùs negligentiam sacerdotum, cùm populi semper promptißimi sint, quoties sacerdotis alacritatem ad rectè agendum, et exemplum vident. Atque vt solatij nonnihil bonis hodie afferamus, sciant illi, pastorem animarum vnum, qui plenus annis, sanctisque moribus, in paruo et obscuro rure viuit adhuc tenuißimi sacerdotij fructibus, zelo ardoreque suo magno, et agrestium industria, ad Dei, ecclesiarum, ecclesiasticique ordinis honorem, tantum profecisse, vt non liberales solum, sed magnanimi etiam videri poßint quicunque nobilium talia monumenta relinquent, qualia moriens ille relicturus est. Hactenus diximus, sacerdotes, grauem esse culpam eorum, qui ad altare accedunt absque vlla præparatione animi, peßimumque istum morem in eo etiam apparere, dum templi nitorem et elegantiam minimè curant. Nunc dicam id, quod animaduerti, cùm singulas huius nostræ Diœcesis partes inuiserem, proprium nimirum eorum esse, qui circa templa negligenter agunt, vt etiam in animarum cura negligentißimi reperiantur. Non sinerent Dæmones, ò filij, hæc duo vitia perpetuò seiuncta esse; ideoque sectatores suos docent spernere viua pariter, et mortua templa, vasaque Gratiæ visibilia, et inuisibilia, decoraque cælestia

simul, et terrena. Quapropter accidit mihi nonnunquam vt audirem, fuiße sacerdotem aliquem indignum, qui abnueret dare aures homini, qui doloris plenus ad ipsum acceßißet, vt Deo reconciliaretur. Sunt alij, qui toruis oculis accipiant adeuntes, dicantque, eundum ſibi eße aliquo, ſiue funeris, ſiue alterius officij cauſa: vnde poſtea fit, vt animæ infelices deſtitutæ pereant. Si vobis perferenda eßet aliqua grauis iniuria eorum cauſa, qui veſtræ fidei commiſſi ſunt, quæro ego, quomodo tunc affecti eſſetis? Si periculum aliquod eorum cauſa ſubeundum, neſcio quo tandem animo id faceretis; quoniam ſi commodi veſtri quidem partem vllam amittere recuſatis, prompti certè ad maiora non eſſetis. Si tempus eiuſmodi adeßet, quo veſtræ fidei, atque vigoris animi, et roboris experimentum aliquod dare deberetis, neſcio ego, conſiderando præteritas veſtras actiones, repræſentaretne poſſetis boni paſtoris officium, an potius reperiremini ſimiles viliſſimo illi mercenario, de quo in Euangelio eſt. Reputet vnuſquiſque veſtrum, ſi perit ouicula, vos reos eße, ineſtimabileque damnum fieri; nam ſi ei, qui rem rapuerit alienam, neceſſariò faciendum eſt, vt rapta reddat, exiſtimanda eſt ſupra vires humanas reſtitutio cæleſtium bonorū, quorum iactura nulla alia re compenſari poteſt. Ac quomodo tandem poterit ſacerdos

Ioan. cap. 10, n. 13.

dos

dos restituere thesaurum Gratiæ, quam anima illa assecuta esset, quamve nunquam fortasse postea diuersis alijs remedijs et auxilijs eadem aßequi poterit? Mutationem rerum nescire possumus ipsi, casusque varios, quibus expositi sumus: sed certißimũ illud est, nunquam fore in tua potestate aurum, gemmasque tanti pretij et valoris, vt earum pretio et valore sarciri poßint damna, quæ per tuam negligentiam facta sunt. Atque ideo suspirandum tibi est aßiduè, flendumque, et per omne vitæ tuæ spatium eluenda tibi turpißima hæc labes. Iniustitiam autem istam tuam, et morum feritatem sacræ Litteræ mirifica arte designauere verbis illis; Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos: Ecce ego ipse iudico inter pecus pingue, & macilentum: pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras. *Hæc sunt damna, et repulsæ, et contumeliæ, quibus à te pauperes afficiuntur, cùm ipsi confitendi causa ad te accedunt. Illi in singulas horas miseriores fiunt in conspectu Dei, quoniam fractæ eorum vires nulla tua ope sublevantur, ac ferme eiecti extra ouile, per steriles Mundi campos dispersi et disiecti errant. Id nihil aliud est, quàm legibus aduersari diuinis, et Dei voluntatem contemnere, qui in veteri lege cælestia sua dona similitudine*

Ezechielis cap. 34.u.20.& seq.

Isaiæ cap. 9. u. 3. Cap. 27. u. 3. Cap. 35. u. 6. Cap 43. u. 5. Cap. 60. u. 4. *tudine fontium, et fluminum, et uberrimarum aliarum rerum demonstrauit, ut suam erga nos liberalitatem, atque munificentiam declararet. Iam igitur considerate paulisper verborum illorum sensum*; Cap. 12. u. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Pauperes, diuitesque, nobiles, et obscuri æqualiter omnes sitim explere vestram poteritis, idque varijs modis, prout cuique opus fuerit; non enim unus fons erit, unave aqua, sed multiplices, et largissimæ venæ erunt. Atqui tu arcebis à Gratiæ fonte illum, qui supplex fontem adit? Æternosque, et viuos Saluatoris fontes clausos intra tuas manus habebis, et obstructos? Steriles ne igitur erunt Ecclesiæ campi? Hique si flores, et poma, fructusve nullos ferent, quomodo tandem Mundus uniuersus stare poterit, ac durare?*

Ieremiæ cap. 14. u. 4. Propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram, confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. *Effectane videre desideras?* Ibid. u. 5. Nam & cerua in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba. *Et propter flagrantissimam sitim hæc etiam habentur*; Ibid. u. 6. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. *Quomodo poterit misera illa anima, et infelix illa muliercula excolere cordis sui hortum, cùm Saluatoris aquas ipse parcè diffundas? Confusa, et mærens ipsa*

relin-

relinquitur, ac præ summa amaritudine tegit vultum. Iuuenis ille significabat, paratum se esse abdicare peccatum, ac sequi Deum, statueratque ad pedes abijcere sese tuos, melioremque viam inire: sed subtracto deinde auxilio, exiguum illud lumen amisit, quod affulserat ei, et ad pristinas tenebras relapsus est. Hi sunt negligentiæ fructus, ò sacerdotes. Hæc sunt inconsiderata opera vestrum omnium, qui Deo dicati estis. Huc deductus est vestra causa mortalium cœtus ferè omnis. Remedium ego vestræ saluti nullum video, ò filij, nisi vos statim, penitusque à pristina vita institutis discedatis. Nam si homines fermè nihil agunt hilari animo eorum causa, quos in proprijs rebus valde negligentes esse vident, et quodammodo illis irascuntur: minimè credere debemus, velle Deum sumere arma ad eorum ecclesiasticorum defensionem, qui segniter tractauere ea, quæ ad ipsius gloriam summopere pertinebant. Absoluimus orationem hanc, auditores, quæ suspiria mea, measque querelas vobis exposuit; lætoque animo essem ego, si crastina die iucundius argumentum pararetur: sed vereor, ne gratiores vndas sulcare non possimus.

SECVNDA DIE

Sinodi eiusdem.

DE IIS SACERDOTVM CVLPIS, in quibus nulla emendationis signa apparent.

CONCIO XXXII.

N*EMO deberet esse, cui non videatur arduum afferre opportuna remedia maximis animi nostri malis sola sermonis ope, venerandi sacerdotes. Difficilè enim ad credendum add cimur, humanam mentem rerum omnium præsidem obedire velle linguæ tam exiguo corporis membro; et verba, quæ sunt animi proles, imperare animo, animumque ipsum subiacere verbis serui instar; atque persuasionum calorem hac in re Solis radijs efficaciorem, in abditissimas nostri partes penetrare virtute verborum, et frangere ibi durissimos affectuum nostrorum silices, et disijcere vetusta morum vitia, ac dissipare tenebras errorum. Atque ideo de magno hoc persuadendi munere Ieremias Propheta, tanquam de arduo et laborioso nego-*
Ieremiæ cap.6.u. 29. *tio; sic dixit;* Defecit sufflatorium, in igne consump-

ſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. *Accedit, inquit Ieremias, artifex ad ignem, ſumitque inſtrumenta ſua, neque deſiſtit vnquam ſufflare, donec plumbum, et ferrum, et quoduis aliud metallum eſſe liquefactum videat. Atque in eo ſæpè accidit, vt ignis violentia, nimiuſque ferramentorum vſus fatigationem afferat, ita vt neque artifex durare diutius poßit, inſtrumentaque ipſa fatiſcant, atque diſſoluantur. Sed quid volo ego ſimilitudine iſta demonſtrare, inquit Ieremias? Abſumitur plumbum, metallaque alia conteruntur, ferramenta franguntur: pariterque concionatores, et prophetæ exprobratione culparum, ſpirituque vehementi fulgura verborum mittentes è ſuggeſtu, pectora ſua veluti inſtrumenta ad ignem accendendum diſrumpunt: nec tamen frangitur auditorum contumacia, culpæque ſemper eædem manent. Precor à Deo Optimo Maximo, ne patiatur vnquam tale quippiam accidere nobis, ne graui aliqua calamitate conflictemur. Id autem fieret, ſi pœna contumaciæ vobis infligeretur, meque mœror haberet ob irritas conciones. Inter alia hominum peccata, quæ difficillimè euelluntur è pectoribus humanis, ſemper ego difficillima eße illa exiſtimaui, in quibus nullum pœnitentiæ ſignum appareret: idque hodie ego præcipuo Dei fauore*

adiutus, coarguendum suscepi. Peccant igitur sacerdotes, neque resipiscere ipsis datur? Sacerdotes igitur deteriores laicis erunt? Semper igitur Ecclesiasticos homines peccata inuoluent? Igitur sacerdotes ad altare accedunt, sacrificantque culpis omnibus cooperti? Hæc ego non affirmo, quoniam ei, qui iustissimus est nostrarum culparum Iudex, curæ etiam est, vt sententiam de ijs vltimam ferat. Tantùm affirmo, dubitandum esse mihi, ne plerique vestrum in confitendo teneantur eiusmodi vinculis adstricti, vt ab sacerdote absolui non possint. Quomodo fieri potest hoc, inquient multi. Ostendam quomodo fieri possit, idque multis grauissimis argumentis, quibus ne responsuros quidem esse vos arbitror. Cum ego attentissimè considerauerim mores, et instituta vestra, viderimque frustra vos adhuc esse reprehensos, crebræque ad nos querelæ perferantur ab illis, quos in hac pascendi cura socios habemus, credere cogor, negligentiam in diuini officij recitatione vestram illud esse peccatum, quo multi in obeunda confessione ita impediantur, vt sacramentalem absolutionem recipere nequeant. Inter alia, quæ fidem facere possunt doloris in admissa culpa, tristitia est et mæror, si quis in animum admittitur, vbi primùm delapsus est in errorem; in hunc enim modum agnoscere se culpam, displicereque sibi illam de-

declarat, taciteque veniam implorat. Id signum minime cernitur, generatim loquendo, in sacerdote recitante canonicas horas non sine negligentiæ culpa; quippecum nullus conscientiæ morsus cernatur, contemnatque ille reprehensiones, et irascatur monentibus, stabilisque in errore persistat. Sic etiã Lot ille egit, cum ei persuaderent Angeli, vt ex Ciuitate abiret, cui incendium imminebat. Ostendebant Angeli periculum ipsi imminens, vniuersæque familiæ; et illi omnes velati clausis auribus audiebant ea, variasque nectendo moras, ita procrastinabant, vt prædictio illa, quasi ludus haberetur: Et visus est eis quasi ludens loqui. *Contemnebant igitur pericula, flammásque imminentes. Sua igitur tecta relinquere nolebant. Sic etiã ego dico, canonicos, dum monentur à præfectis chori, et a punctatoribus, vt maiore attentione, ac modestia, et grauitate sacerdotali, diuino officio inseruiant, dumque eorum verba ipsi irrident, tanquam hominum leuium, qui scrupulis inanibus, et rigore importuno turbare pacem aliorum velint; ostendere, nolle se peccatum suum antiquũ exuere. Sed quanam alia etiam ratione cognoscere poterimus quomodo sint affecti negligentes isti sacerdotes? Indicium quoddam est aliud huiusmodi. Cum aliquis peccatum agnoscit suum, idque animi sensu detestatur, satis multa signa cernun-*

Genesis cap.19. u.14.

tur eius intimi doloris, audianturque suspiria, et gemitus, et mœstum silentium interioris mœstitiæ sit index. Audite canonici, vocemque meam hanc accipite. Tanta vis est veri, vt aduersus eam vim stare non possitis. Vos non poteritis facere, quin audiatis animi vestri alloquium, et graues simul ipsius reprehensiones, quæ interiùs personabunt. Quàm raro ob crimen istud ingemuistis, dedistisque signa mœroris? Quàm raro verberibus, et flagellis, et liberalitate erga pauperes, negligentiam istam expiare studuistis? Quàm raro ad confessarium accessistis, vt remedium aliquod ab eo vobis daretur? Respondete, sacerdotes, respondete. Ante Dei tribunal stamus nunc, isque omnes animi nostri sensus videt. Scio ego, multos esse in hoc cœtu, qui maioribus etiam remedijs huiusce vitij emendationem quæsiuere, multosque probos, et Deum timentes agnosco: sed vereor, ne magnus etiam sit negligentium, prauorumque numerus, quos ego iubeo attentiores esse ad rationem hanc aliam audiendam, quæ demonstrabit ipsis pessimum eum statum, in quo versantur, ac viuunt. Coniectura rerum, quæ oculis minimè cernuntur, sicuti notum plerisque est, desumuntur ex diuersis locis, qui generatim circumstantiæ appellantur: atque ideò, si respiciamus illud, quod sacerdotes nonnulli agunt, antequam chorum petant

tant ad diuina officia recitanda, nihil ego aliud audio, nihil sentio aliud, quàm inania verba, et aculeata, quàm irrisiones, et nugas, mutuosque iucundos sermones. Rari sunt, qui ad ecclesiam progressi, sedeant suis locis separatim, colligantque se se, et reputent quam ob causam eò conuenerint, conenturque dissipatas animi partes colligere. Dum autem diuina officia canuntur, multi vestrum huc illuc circumspiciunt, tanquam aliquid noui quærant oculis, et tanquam eò conuenerint, vt numerare singulos debeant, qui templum ingrediuntur. Absolutis autem diuinis officijs, discedunt non agmine composito, sed ita perturbati et confusi, vt similes videri possint militibus quodammodo illis, qui nullo ordine redeunt ex acie, postquam fusi ac dispersi fuere. Vt autem in sacrarium processere, tanta festinatione, et furore sacras vestes exuunt, vt satis appareat omnibus, quàm graue onus essent ipsis ornamenta illa et vestes. Obsecro vos, sacerdotes, dicite mihi, an tales vestros esse mores oporteat. Atque talibus institutis fidem facietis, peccata vos esse pertæsos? Grauissimæ sunt istæ coniecturæ, sacerdotes, magnumque momentum apud iudices haberent, vt sententia in vos funesta pronuntiaretur, nisi diuina magis, quàm humana iudicia pertimiscenda vobis essent; quæ quidem huiusmodi indicijs non

indi-

indigebunt, vt verum, et rectum dignoscatur. Sed cur tandem in templis admittunt talia sacerdotes? An fortasse sunt fœda, et indecora loca? Si perhorrescitis ea, non hominum, sed Dæmonum more agitis, quos videmus vtique tergiuersantes, atque reclamantes, cum obsessa corpora sacrum solum intrauere. Nonne sunt templa Paradisus terræ, deliciæque Christianorum? Nonne dixit Isaiæ cap. 1. u. 12. *Isaias, stare in conspectu diuino eos, qui starent* 2. Paralip. cap. 7. u. 15. & 16. *in templis? Nonne promisit Deus, oculos, et aures suas apertas fore semper illis, qui orarent in templis? Nonne dixit, ea esse loca sacra, et placita sibi et electa? Cur igitur sacerdotes ita versantur in templo, tanquam in ardente camino versarentur? An fortasse deformes videntur vobis sacerdotum aliorum vultus; eorumque optimi fugientur a vobis ceu serpentes et basilisci? Quid igitur vobis persuadet, vt aufugiatis? Vtique sunt vobis, fratres, ad portas qui expectent, vt exeatis: voces auditis eorum, qui nimis soliciti, et importuni sunt in vestra damna: Breue tempus est: et diuina relinquentur? propria negotia sunt vobis omittenda.*

Isaiæ cap. 28. u. 20. Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non potest, *inquit dissimili in re vates Isaias, cum de penuria loqueretur, quæ grauissima imminebat. Ideoque varij sunt vestræ mentis sensus, varia-*

que

que cogitationes, quibus veluti ventis agitatur ea, et varias in partes contorquetur; ac tam saua tempestas est, vt portu sacrorum locorum quasi vos expellat. Si maligni Spiritus vos raperent aliquò, sequeremini ne eos libenter? Cogitate fœdissimas istas imagines esse sensus vestros indomitos et effrenes, qui nimiùm addicti rebus humanis, rapiant vos illuc, ita vt, si attentè considerare velitis, minima pars temporis in diuino obsequio consumatur, cùm hora meliores in rebus humanis traducantur. Quapropter ego ita pronuntio, sacerdotes, vos Dei sumptu seruire Mundo. Vnde redditus Ecclesiastici prouenerunt? Unde patrimonia Ecclesiarum amplissima? Nonne à Deo? Nonne ea vos alunt? Nonne panem præbent, quem intra vestra tecta post triduum manducabitis? Ac nihilominus Dei sumptu seruitur Mundo. Solicita illa cura, et negotia illa, litesque perpetua, et assidua per vias concursatio, et nocturni domum reditus, quid tandem indicant, sacerdotes? Ut vestram hanc viuendi licentiam frænaret Deus, iussit olim iuxta templum vos assiduè habitare. Et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. *Paulòque post*; Porrò Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodijs tabernaculi testi-

Num.cap.1.u.50.
Ibid.u.53.

testimonij. *Non dormire satis est iuxta templa, sed vigilando etiam oportet ea solicitè custodire; nam alioqui praeberetis eiusmodi suspicionem, tanquam non custodiendi, sed quiescendi causa venissetis illuc, temporumque interualla haberetis ita descripta, vt diurnas horas, quae melior, potiorque temporis pars est, negotijs consumere vestris velletis, ecclesiaeque cultui somni tantùm horas tribuere animus esset. Magnus vos error habet, sacerdotes, si quidem creditis humana simul, et diuina assequi vos posse.* Defecitque manna postquàm comederunt de frugibus Terrae, nec vsi sunt vltra cibo illo filij Israel. *Sic populo accidit, qui Caeli simul, et Terrae munera sperauit, statimque melioribus carere se agnouit. Non tam facile est, quàm creditis, sacerdotes, hoc animarum curandarum munus: non tanta sacrarum rerum est vilitas: eae contemni per vos nequaquam debent. Atqui quis tandem crederet, Ecclesiasticos aliquos homines, non solum delectari tractatione rerum seculi, quae ad se spectant, sed etiam sedulò persequi aliena; vnde postea nimia cum laicis consuetudo nascitur, stragesque inde, et ruina sacerdotum. Atque tam effusa est eiusmodi cum laicis consuetudo, vt clerici laici quodammodo appellari possint; similes vtique animantibus illis, quae cuius conditionis sint, dicere non possumus, quippecum*

Iosue cap. 5. u. 12.

pecium in aqua simul, et terra vitam viuant, volentque simul, et currant. Quæ naturæ elementaris confusio, et mistura non est tam noua, tamque admirabilis, quam nouum, absurdumque est cerni vestrum aliquos, qui statim absoluto diuino officio, in tabernam se se aliquam abdant, atque ibi res absurdas, inutilesque sermonibus tractent, varijsque narrationibus, et fabellis cœtus hominum detineant, ita vt circumfundant se se vobis in coronæ modum omnes, et tanquam ex foro, non autē ex templo veniretis, interrogent, quid habeatis dicere noui, quidue sermonum, et rerum in republica circumferatur. Mea hæc est opinio, fratres, nihil posse reperiri tam absurdum, et nouum simul, quàm vos irrisui esse laicis, quibus timori esse debebatis. Non sunt hæc instituta illa, ò Mundi Saluator, quæ tradidisti religiosis hominibus, cum nobiscum in terra versarere. Neminem per viam salutaueritis, *inquit Magister ille cælestis vitæ.* Lucæ cap. 10. n. 4. *Qui verba hæc legat, inspiciatque idem mores vestros, suspicari poterit minimè dicta esse vobis, quandoquidem talia præcepta sic contemnitis. Pariter posset aliquis credere, leges, et instituta conciliorum, quæ tot conuentibus in hoc loco promulgata sunt, scripta esse ad vtilitatem ecclesiarum aliarum, atque sacerdotum; neque mereri vos contumaciæ notam, quam vtique commeriti estis: sed*

potiùs accusandos esse eos, qui vos adhuc parùm attentè gubernauere. Ad vestram gloriam olim pronuntiata fuere verba illa; Vos estis sal terræ: Vos estis lux Mundi. *Et alibi;* Ego dixi, dij estis. *Sed fit morum vestrorum vitio, vt homines laici manifestè videant, vos homines esse, non Deos. Idque vident in illis præsertim conuiuijs; ad quæ adhibiti estis, non vt detur honori vestro aliquid, sed quia insulsæ essent epulæ, nisi vos eas condiretis, dum scilicet contumeliarum aliquid non sine conuiuarum irrisu sustinetis. Inter mensas illas arcanas sustinenda sunt vobis, et deuoranda conuicia, et probra, non solum parata epulæ, ad quas non congregantur homines, vt meliores sint, quàm alibi esse consueuerunt. Neque credunt, vos minùs malos esse, sed peiores, quàm ipsi: quippe cum videant esse paratos ad ea facienda, quæ ipsi indecorè atque ignominiosè faciunt. In eiusmodi conuentibus non audiuntur quidem obtrectationes, non verba temerè pronuntiata, non obscœna voces, non sanguinaria consilia, non instituuntur ludi, non impia verba audiuntur, quæ praui homines iactare solent. Etiam ob pietatem, quæ prosequi Creatorem nostrũ debemus, sacerdotes, graue esset ferre eiusmodi conuicia, quæ ab laicis lata sustinentur, vt ipsis gratum fiat. Et quamuis aliquo Dei munere concessum vobis esset, vt non*

Math cap. 5. n. 13. & 14. Ioan. cap. 10. n. 34.

omnia

omnia committeretis mala, quæ committunt ipsi, sordidißimum tamen est hoc; vt videlicet oblectationis alicuius causa, vestra fama dehonestetur, et exponatur vestra dignitas ludibrijs, cogaturque humiliter seruire. Minimè verò hoc fiet, inquient aliqui; quandoquidem sacra nostra concilia seruire nos laicis vetant. De hominibus eiusmodi, qui apertè in eo peccant, non loquor; quoniam ipsi iuxta leges à me seuerè punientur. Sed quotnam vos negotijs laicorum occultè immiscetis cum dedecore vestro, et damno? Generatim loquendo, opinantur mundani omnes, se posse vti commodè vestra opera in suis rebus, quia credunt maiori temporis parte vos esse otiosos; ac minore respectu, quàm cum laicis, putant agere se poße res suas. Atque ideo negotia leuis momenti, et tricas quasdam occultas et inusitatas nonnullis infelicium horum satis libenter ipsi committunt et credunt. Si ad vos accederet laicus aliquis, et mutuò postularet calicem, vel patenam, bibendi, vel manducandi causa, nonne statim perhorresceretis? Ac si id graue non eßet vobis, calicemve illum, aut patenam mutuò daretis, nonne ignis pœna digni vos eßetis? Nec tamen turbamini, molestiamve vllã sentitis, dum adhibemini ministri eorum sensibus, atque cupidinibus, et animæ vestræ vas inconsideratè accommodatis, et sacratum vestrum pectus

polluitis, in quo Dei Filius quotidie accipitur. Calicem contaminari non vultis, ipsique laici nullo modo auderent contrectare eum atque contingere; nec tamen eosdem pudet viuos vos calices contaminare et polluere. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustrà conflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. *O Ieremia, ò Vates summe, nimis malè ageretur cum sacerdotali hoc cœtu, si hodie verba hæc etiam in obstinatam eorum malitiam caderent; sique manifestum esset omnibus, Episcopum iam ferè apertum habere pectus ob nimias reprehensiones, iamque fessum ad vitæ finem appropinquare, æruginemque nihilominus vitiorum minimè absumptam esse, et cùm metalla ipsa liquefiant, petræque durissimæ frangantur, pectora vestra nihil commoueri. Vos inuito, sacerdotes, ad emendationem: neque expectare debetis, vt aggrauetur ira, et cæleste supplicium, cuius minima pars acerbior erit, quàm omnes meæ, omniumque reprehensiones. Atque id, quod tunc fiet, contemnere non poteritis, sicuti verba nunc mea nonnulli fortasse vestrum contemnunt: sed dolore, et confusione incredibili pleni eritis.*

TER-

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

DICVNTVR NONNVLLA, vt superiorum concionum vtilitas constet.

CONCIO XXXIII.

SACRIFICABAT Ieroboam impius Israelis Rex falsis Dijs, chari dilectique sacerdotes, cum statuit diuinus Vates eum asperrimè coarguere; et antequam ad ipsum accederet, significauit populo, qui tunc in vrbe Bethel erat, fore vt videret dissilire repente aram, vbi iniquus Rex sacrificabat, vt testimonium id esset, loqui se diuino iussu, omniaque esse vera et sincera, quæ dixisset. Mox accessit ad sacrificij locum Vates ipse, et postquam eò peruenit, reperit adoleri thure vitulum aureum. Quapropter, admissa in animum ira ob tam impium scelus, magna, et venerabili voce, non protinus Regem, sed aram ipsam ita est allocutus. Altare, altare, *Deus me huc misit, vt in conspectu multitudinis huius, quæ dictis meis perhibere testimonium poterit, vaticiner fore, vt* 3.Regũ, cap. 13. u. 2.

illi,

illi, qui hic sacrificant, adorantque vitulum aureum, eodem tempore occidantur hic atque sacrificentur. Dissiliit occulta virtute ara illa, sacerdotes, in duas partes, cineresque sacrificij dispersi per terram, vaticinium diuini Vatis, et minas comprobauere. Non ego a vobis postulo signum visibile aliquod, quo ea, quæ dixi, quæve vobiscum egi concionibus meis, comprobentur. Nullum inusitatum, mirificumve euentum videre cupio. Tantum opera illa videre velim, quorum Angeli potius, quàm homines ipsi, iudices esse possunt, quæve notiora sunt vobis, quàm reliquæ multitudini. Nullum mihi esset solatium, si nunc altaria lapidea, et marmorea dissilirent: sed cupio quidem carneas illas petras, et altaria inuisibilia, corda nempe vestra, testimonium perhibere clarissimum noui et insoliti vigoris reprehensionum mearum, atque ea ad eius rei fidem emollescere, et frangi, cineresque superiorum errorum spargi, et consumi. Conuulsionem hanc requiro, sacerdotes, et mutationem hanc, indiciumque hoc persuasionum mearũ videre velim: non quia sim Vates, sed quia Vatis personam gero: non quia Deus voce sua sensibili me sit allocutus, sed quia documenta, et reprehensiones, et quicquid adhuc vobiscum egi, desumptum est ex diuinis Litteris, quæ diuina voce formatæ sunt. Atque ideo ad altaria inuisibilia

men-

mentium vestrarum feruenti zelo conuersus, sic dico: Altare, altare, hæc dicit Dominus. *Fortasse non sum ego dignus, ò filij, vt comprobari consilia mea, measque adhortationes euentu aliquo videam, quibus consilijs, et adhortationibus deprauatos ecclesiasticos mores, vestrasque culpas tam frequenter sum insectatus. Si aliud hoc tempore nihil videre mihi daretur, iucundissimum esset, si saltem videre possem, intelligere vos vera ea esse, sacerdotes, quæ hactenus dixi. Acerbas coniungere reprehensiones absque manifesta, necessariaque causa, loqui de rebus illis, quæ iniucunda esse possint, atque volui assiduè inter culparum alienarum spinas, gratissimi nequaquam sunt mores: temerariumque esset, si fierent hæc in eorum conspectu, qui falsæ meæ orationis esse testes possent. Quamobrem interrogo nunc ego vos, sacerdotes, verane sint, an falsa, quæ vobiscum hactenus egi. Memini, Samuelem illum magnum, cùm honestæ suæ, præclaræque administrationis rationem redditurus esset, ex loco alto ita esse concionatum, consenuisse iam se, atque in animo habere deferendi munus illud, quod diù sustinuisset, atque ideo venisse in populi conspectum, vt iudicaret ipse, an absque vllo dedecore vitam ad eum vsque diem egisset. Tunc populus vna voce perhibuit Vati testimonium innocentiæ, atque promisit, se se testi-* 1. Regũ, cap. 12. u. 2.

mo-

monium innocentiæ illius, et veri semper esse dicturum. At ego nunc ab hoc sacerdotali consessu postulo, non vt de meis moribus, siue probi, siue improbi illi sint, testimonium præbeat, sed vt statuat apud animum suum vnusquisque, veræ ne sint, an falsa, quæ locutus sum. Neque verò
1.Reg. cap. 2. u. 13. *comparari velim, chari, et amici, Heli sacerdoti scelerato, qui cùm ad aræ ministerium electus esset, filios habebat, qui sacra contemnebant, et deprædabantur, idque dedecus ipse dissimulabat, atque cùm talia fierent, vltro conniuebat. Ne velit Deus, vos esse filios tam miseri patris, meque tam infaustæ prolis patrem. Tales non debent esse clerici venerandæ huius Ecclesiæ: tales non debent esse sacerdotes: talis non debet esse Episcopus, qui potestate cælesti multitudini huic amplissimæ præest. Debemus monere, reprehendereque, et castigare, et oculi mei non debent esse, sicut oculi senis illius*
1.Regum, cap. 3. u. 2. *sacerdotis Heli, qui caligantes ob senectutem erant. Nondum ego ad eam caliginem processi, fratres, videorque ex parte videre id, quod in diuino cultu facere deberetis. Atque ideo absoluere debeo tempus officij mei pastoralis, munusque hoc non omittere, donec mihi persuasum sit ita placere Deo, qui Dominus est huius corporis, et animæ, sensuumque horum, qui debilitate iam fatiscunt.* Altare, altare, hæc dicit Dominus. *Sicut lapides ipsi*

iam,

iam, vt voci Vatis obedirent, habuere sensum; et quasi rationis participes facti sunt: ita velim ego vos magistros populorum, præter alia, quæ diximus, hoc etiam intelligere, quod nunc dicam. Si tempus hoc, et locus, et occasio tam opportuna, si vestra ætas, et officij vestri notitia mouere non possunt animos vestros ad laudabiliter agendum, non video posse alia re moueri, quàm necessitate, et damno, flagelloque diuino. Quòd si lenia vos remedia non admitteretis, sacerdotes, nec aspera quicquam proficerent, exigua sanè spes vestræ salutis relinqueretur. Solent iuuenes expectare firmiorem ætatem, qua se se ad Deum conuertant, existimantque debere cessare peruersos mores vnà cum vita, et absurdè pœnitentiæ tempus differunt. Talium, in quibus nondum flos iuuentutis, primique annorum honores deciderint, nemo fortasse in hoc consessu reperitur: ideoque cum talibus minimè mihi sermo est. Senes, iam vndecima vobis hora superuenit, iam Sol occidit vobis, et campos vestros obscura caligo habet, et alium diem in terris expectare minimè debetis, qui vobis consurgat. Maturæ ætatis homines, nullumne igitur maturitatis vestræ fructũ præferetis? Extollere non potestis animos vestros ad spem vllam excelsam, moxque sub cani capitis niuibus animi quoque sensus congelabunt. Iam appropinquat felicitatis vestræ finis,

Pp

nis, et mutatio status vestri fieri non poterit aliter, quàm per durum, asperumque callem, et periculosum. Omnibus nobis, ò filij, moriendum est in hac naui, nisi fallor, in qua non tam tempestates fugiendæ, quàm vincendæ nobis sunt animo inuicto et generoso. Neque locus aut opportunior, aut sanctior, neque dies propitia magis, aut sacra magis inueniri poterit, quàm hac ipsa. Hic namque purgantur animi ab humanarum rerum labe: hìc flamma diuinitus è Cælo cadunt ad illuminandum, et calefaciendum. Et sicuti terra calefit à Sole, eoque omnia vigore nouo iuuenescunt, mæstitiaque, et tenebræ dissipantur: ita mihi videtur hoc tempus esse opportunum, quo nouus vigor assumatur. Nunc Cælum splendidius, nunc Sol sublimior, magisque aureus, nunc Lunæ orbis clarior, & siderum chorus purior, nunc & fluctus cum littoribus, & nubes cum Sole, & venti cum aere, & terra cum stirpibus, & stirpes cum oculis in gratiam redeunt. *Sic Gregorius de hoc anni tempore dixit: talibusque argumentis Christi fideles excitabat. Ergone dum Sol nitidior apparet, vos obscuriores fietis? Et dum herbæ virent, vos quasi mortui iacebitis? Ac dum lætitia terram omnem habet, vos causa doloris, et lacrymarum eritis? Quod autem pro conditione vestra faciendum esset vobis, facilè, sicuti*

Gregor. Nazianz. Orat 43. in nouam Domin.

ego,

ego, cognoſcere poteſtis. Quomodo non ſentitis dolorem ſummum, ô ſacerdotes, cùm recordatio ſubit, vos teneris annis iſtam ſacram veſtem ſumpſiſſe, vt vita veſtra perfectior fieret, atque digniora præmia in æterna vita conſequeremini; ac nunc vobis, qui vltimos iam veſtros dies videtis, nihil magis eſſe timendum, quàm ne animarum veſtrarum iacturam faciatis, æternæque pœnæ vos conſequantur? Si habitus iſte, ſi dignitas, et inſignia ſacerdotij arbitrio veſtro dimitti poſſent, forſitan nonnullis veſtrum ſuaderem, vt dimitterentur, ſi quidem vetera inſtituta dimittere ipſi nollent: ſed non poſſunt ea dimitti, neque ſanum conſilium afferrem ego, ſi id ſuadere cuipiam vellem. Atque ideo videmus, vel ſubeunda ipſis eſſe ſupplicia, cùm ſic viuant, vel priſtinæ vitæ conſuetudinem emendandam. Et quoniam huiuſmodi ſacerdotibus omnia infauſta contingunt, ſicuti paſſim obſeruauimus apud ſacras Litteras, iniuria, quas altari, rebuſque diuinis fecerunt, nullam inuenire poſſe veniam poſt eorum mortem videntur. Atque id extremum illud eſt, de quo hodierna die cordium, animorumque veſtrorum aras alloquor, ſacerdotes. Quid fecit Antiochus ille, de quo in libro primo Machabæorum ſermo eſt? Ecquam ob cauſam pronuntiata ab eo hæc verba fuere? Nunc verò reminiſcor malorum, quæ 1.Machab.cap.6. u. 12.

feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.

2. Machab. cap. 9. u. 13. *Et Antiochus ille alter quid fecit?* Orabat autẽ hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. *Quorsum ea pertinent, sacerdotes? Quidve significant vobis? Nolite dicere, Dei misericordiam non esse infinitam, nec semper amplecti eos, à quibus imploratur: sed dicite potius, Ecclesiasticorum pœnas impares esse delictis, fictasque esse lacrymas. Cur autem id fit? Quoniam fit iniuria diuinis rebus: quod peccatum ferè inexpiabile est. Nonne vos viui Dei calices estis, et vasa sacrosancta templi? Nonne vos erga res diuinas iniuriosè agitis, dum eas indignè tractatis? Nonne vos iniustè arripitis ea, quæ pertinent ad sacrificia diuina, ecclesiæque thesauros, cùm digni minimè sitis, qui è Cælo et vobis, et alijs impetrare gratias valeatis.* Altare, altare, hæc dicit Dominus. *Habebo aliquem orationis meæ, præsentisque laboris fructum, quem in hoc solenni consessu sustinui, si animorum vestrorum altaria, ò sacerdotes, memoriam conseruabunt trium earum rerum, quas ego proposui; vera videlicet esse ea, quæ dixi, nec differri posse culpa-*

rum

rum emendationem, et grauißima eſſe peccata ſacerdotum. Precor ego ab eo caleſti Agricola, cuius potentia ſteriles herbæ, ſtipiteſque ambuſti virent, ne velit verbi ſui ſemen apud pectora veſtra ſterile tantummodo eſſe, ſed fructum humanarum, diuinarumque benedictionum vobis centeſimum ferat.

PRI-

PRIMA DIE Synodus

ANNI M.DC.XVII.

DE STVDIO SACERDOTALI, siue Spirituali scientia.

CONCIO XXXIV.

NON magnopere mirari quempiam oporteret, sacerdotes, si fortasse non admitteretis in animũ vestrum oratoris illius verba, qui vilis apud vos contemptusque esset, neque pensi quidquam haberetis quid orator ille concionaretur. Illud quidem et nouum, et mirum hodie videri posset, si audientes attentè eum, quem in pretio et honore habetis, quive non obscurè, sed apertè vos alloquitur, nihil tamen intelligeretis eorum, quæ ipse ad salutem, disciplinamque vestram attulisset. Nos auxilio diuino freti per totum istud diœcesanæ synodus triduum in animo habemus solito concionum ordine, dicere apud vos de studio sacerdotali, hoc est

est de spirituali scientia, quam in vno quoque vestrum esse perfectissimam, excellentissimamque deceret. Neque verò putaueritis, propositum nunc esse mihi, vt scientijs illis erudire vos velim, quæ multo labore, et diuturna solicitudine, laudabilique philosophantium industria quotidie acquiruntur: sed disciplina longè diuersa quædam est, neque ignobilior illis, qua nunc animum compleri vestrum summopere exoptamus. Quæ nobilis, et excelsa disciplina similitudine quadam attingit eam artem, qua terrarum Principes in regendis, gubernandisque populis vtendum esse dicunt. Debent siquidem animarum rectores ita erigere mentem animumque suum, vt in hac cælesti schola rectè percipiant, atque addiscant artem, qua subiectorum studia, et mores, habitumque, et motus animorum intimè perspiciant; simulque norint quomodo præsentia eorũ bona custodiri, vel amplificari queant, quæ propulsandis hostibus via, quod etiam effugium, et declinatio periculorum, quæ ipsos in hoc humanarum rerum pelago vndique circumstant. Præmia quoque, et pœnas aptè dispensandi, et mistam seueritate mansuetudinem opportunè adhibendi peritum euadere vnumquemque vestrum vellemus. Regimen hoc, cui præsumus, sacerdotes, nobilißimum est, atque sacrosanctum imperium, in quo administrando vti conuenit arte

illa,

illa, rationeque status, quæ omnem humanæ sapientiæ modum excedit: neque scientiæ tantummodo nomine appellari eam oportet, cùm suprema sit sapientia ad salutem humani generis è Cælo profecta et delapsa. Atque meminisse hoc loco debemus, Beseleelem illum, qui ad Tabernaculi, et Arcæ fabricam diuinitus electus fuit ab Opifice illo diuino, cælesti spiritu, et sapientia, sicut sacræ Litteræ testantur, fuisse cumulatum. Arcam item illam ingentem diluuij, prouisu longo fuisse præparatam accepimus; prout Deus ipse præscripsisset, cuius æterna sapientia architectari potuit memorandi illius operis figuram, et singularum partium ordinem; qualem figuram, ordinemve nulla vnquam humani ingenij subtilitas excogitare potuisset. Arcam vtique vos refertis eam, sacerdotes, in quorum sinu abditi, et defensi populorum cœtus manent, vt extra procellas huius vitæ, diramque eluuionem exportentur. Magnopere igitur cogitandum vobis est, sciendumque, opus esse cælestibus consilijs potiùs, quàm humana vlla prudentia, vt vos primùm ipsos conseruare possitis, deinde reliquias mortalium, quæ diuina voce sunt tradita vobis et assignata. Quæ certè præstare non possent illi, qui non essent præditi spiritu excelso, summaque sapientia. Atque ideo Ieremiæ illud ad vos pertinet, qui curam anima-

Exodi cap. 31. u. 3. & cap. 35. u. 30

rum

rum sustinetis; Et dabo vobis Pastores iuxtà cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Ierem. cap. 3. u. 15.
Ad declarandum autem manifestius qua doctrina requiratur in populorum magistris, ea descripta est apud Isaiam huiusmodi verbis; Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda validum & fortem, omnè robur panis, & omne robur aquæ; fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, & ariolum, & senem; Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mystici. *Væ tibi popule infelix, ait Propheta, Nam subsidia, et adiumenta præcipua, quæ tibi parata erant, citò subtrahentur, moxque tempus aderit, cùm neque strenuus tibi miles, neque vates, neque consiliarius sapiens opem feret, demumque nullus erit, qui salutaribus monitis miseros vitæ tuæ cursus regat: sed errabundi, et dispersi gregis instar, per deserta loca ibis. Tunc id fit, sacerdotes, cùm nec persuadendo prudenter, nec monendo, consiliumque dando, aptè nitimur ad liberandum eos, quos ab æterno exitio defendendos suscepimus. Ante omnia, prudentia nobis opus est ea, qua intimos animorum recessus, et populi nostri pectora inspicere possimus. Debemus insuper plenam artificio orationem adhibere, et per* Isaiæ cap. 3. u. 1. 2. & 3.

mysteria quædam arcana, et occulta, verba admouere apta ad persuadendum. Tam excelsa hæc sapientia propria est sacra, et christiana philosophia, quam Clemens Alexandrinus censuit societatem et coniunctionem esse morum optimorum cum cælesti ac supernaturali doctrina. Scitote, venerabiles administri diuinarum rerum, altarisque sacerdotes, tam altam esse hanc cognitionem, et tam profundum philosophiæ genus, vt extrinsecarum rerum indagatione parùm contenta, sensus interiores inuestiget atque speculetur. Hinc præclara illa societas, et laudabile vinculum vitæ contemplatiuæ cum actiua altera vita. Hinc priuatæ rei, et publicæ simul procuratio: diuitum pariter, et pauperum tutela: infelicium simul, et fortunatorum rebus apta consilia proficiscuntur. Eadem nuper emersos è vitiorum cœno mortales regit, atque sustentat: et alios, qui feliciore passu longiùs processere, tollit altiùs: et alios, qui iam in altissimo perfectionis gradu constitere, maiorem in modum accendit, vt ad finem vsque perseuerent. Veri isti parentes animarum in suæ prolis cura nunquam defatigantur atque satiantur, voluntque crebris cum vnoquoque colloquijs cognoscere singulorum statum, atque conditionem, vt depellere morbos, tollere labes, afferre salutem, frænare se se efferentes spiritus, erigere languentes, disijcere,

Clemēs Alexand. lib. 2. Strom. cap. 14.

cere,

cere, ac solari mœrorem poßint. Iam ipsi artem peperere sibi, qua prauos motus ab salutifero instinctu, Dæmonumque insidias ab spiritu diuino dignoscant, ne vnquam illato detrimento, partaque victoria, tam sæuus hostis efferatur. Torpor sanè intolerabilis haberet animos vestros, ò sacerdotes, si audientes nunc hæc ipsa, quæ à me dicuntur, statim eam cogitationem in animos vestros non admitteretis, quomodo scilicet cælestis huius disciplinæ compotes fieri poßitis, ac nisi peteretis etiam à nobis, vt viam vobis aliquam eius aßequendæ monstraremus. Primum omnium constat, precationis ope ita illustrari animum, vt ea meritò Sol dici poßit, qui in hisce rerum humanarum tenebris facem nobis præfert ad ea, quæ agenda sunt. Atque, vt in præclaro hoc et nobili studio contemplationis sine magno labore versari valeamus, volumina sunt ea peruolutanda, quæ mentē animumque nostrum honestarum rerum cupidine accendere poßint, atque ita eundem confirmare, vt in pastoralis vitæ solicitudine et cura nusquam defatigetur. Legendo interdum, sæpe contemplando, disciplina conquirenda est ea, sacerdotes, quæ nostris, alienisve neceßitatibus pro temporum, et rerum varietate vtilißima esse potest: idque faciendum est viri militaris exemplo, quem Græci Scriptoris monumenta extollunt. Non enim inter arma-

Qq 2 tas

tas tantummodo acies, sed omni semper et tempore, et loco agitabat ipse secum, si obuium hostem haberet, quid consilij posset capere, quidve artis aduersùs repentinum omne discrimen explicare. Nos quoque identidem agitare hoc animis debemus, accidere posse, vt ad varia discrimina subiecti nostri consilium à nobis petant, ita vt multis vno tempore tendere dextram necesse habeamus, ne Dæmonum impulsu corruant, neve offuso rationis lumine, superbia, et ira, libidinumque monstris miserabiliter succumbant. Paucis absoluam hunc locũ, sacerdotes: magnanima ista opera eiusmodi sunt, vt arte, conatuque omni, et labore, cui cuncta obediunt, strenuè peragenda sint. Neque mirum videri debet, si dum segnes ad huiusmodi studia et labores sumus, res nostra quotidie peior fiat, cultusque diuinus retrolabatur: sed illud vtique mirum esset, si non ab otio, desidiaque nostra detrimenta hæc manarent. Desidia, et otio eorum, qui animas regebant, benè morata ciuitates miserè olim periere: vos verò, segniter, et otiosè agendo, nostram hanc Vrbem Mediolanensem restituetis? Stat vobis ante oculos recens memoria Sancti Pastoris Caroli, qui durus, ac seuerus in se ipsum fuit, saluti que populorum indesinenter adlaborabat? at vos sedentes et quiescentes, ad Cælestem Paradisi Patriam peruenire posse sperabitis,

eiusque

eiusque adspectu frui? Tam arcta quietis spatia fuere Sancto Pastori, auditores, in hac vita, vt nemo credere possit, voluisse eum toto vitæ suæ tempore angi sic et fatigari minore proposito præmio, quàm beata illius vita, cælestiumque gaudiorum. Squalor quin etiam, et macies ea Viro, rigorque aduersus carnem, et continuatus noctu diuque labor ita cordi fuit, quasi non aliter æterna mala deuitare, vel consequi præmia se posse speraret. Ante omnia elaborandum est, sacerdotes, vt huius spiritualis disciplinæ compotes fiatis, vtque seruandarum animarum periti magistri diuino munere euadatis. Quæ autem expeditissima sit ad hoc ipsum via, quibusve remedijs salus aliena procurari possit, muneris, officijque vestri est statuere ac iudicare. Aptissima similitudine id demonstratum est à Ioanne Cassiano, qua nimirum peritos occultarum actionum, quæ à spiritu proficiscuntur, nummulariorum peritiæ æquiparauit. Ioan. Cassianus Col. 1. cap. 20.
Namque si nummulario, vel collybistæ nummum aureum, argenteumve tradideris, confestim ille, vel adspectu, vel pondere, vel heraclij lapidis experimento, valorem eius pecuniæ compertum habet. Vestra interest, ò patres, et magistri Christianarum animarum, inspicere quænam effigies in cuiusque animo insculpta sit, et explorare diligenter, tanquam metalli pondus, actiones, et merita

eorum,

eorum, qui ad salutem animæ suæ opem à vobis aliquam exposcunt. Atque totum hoc facile vobis expeditumque erit, si vniuscuiusque culpas, et omnes animi solicitudines, ac motus, et vniuersam, vel præsentis, vel anteactæ vitæ consuetudinem introspicietis, diligenterque examinabitis. Sed sciendum simul est, artem hanc, quam factitamus, cælestemque philosophiam, in qua assiduè versamur, plurimi esse laboris, ac studij, resque prope innumerabiles eam requirere à nobis et postulare. Quod cùm ita sit, erit fortasse aliquis vestrum, qui nos in hunc modum alloquatur: Quis igitur tam diuersis fungi muneribus poterit? Quis tantas custodire leges? Quis robur animi, prudentiamque, et sapientiam exercere tot modis? Non est vllus huic excusationi locus, sacerdotes, si tamen maiorum nostrorum exempla velimus intueri. Clemens namque Alexandrinus, et ante hunc, Phylo tradidere, Moysen fuisse magnum Prophetam, et simul scripsisse leges, quas diuino nutu populo daturus erat, et peritum eundem rei militaris fuisse. Non est excusationi locus, sacerdotes. Sed aut munus istud deponendum, quod sustinemus, clauesque tradendæ potestatis, quæ nobis iniuncta est, aut exempla hac ante oculos habenda, et imitanda. Nunc eundum in aciem, pugnandumque est: nunc dandæ leges: nunc cum po-

Clem. Alexandr. lib. 1. Strom. cap. 13.
Phylo lib. 1. de præmijs, & pœnis.

populo agendum prouisu, et denuntiatione malorum additis etiam opportunè comminationibus, quomodo factitasse sanctos prophetas constat. Vos verò desides, et inertes, et tardi, si inanes eiusmodi labores vobis videntur, considerate paulisper, et adspicite agricolarum opera, et labores, quibus ipsi magnitudinem diuini operis imitantur, renouantque mirabile illud; Producat terra animam viuentem in genere suo. *Quo scilicet diuino mandato, et verbo sterile antea solum et infelix innumerabilia bona subita fœcunditate effudit. Sicut igitur in agrorum cultu supremum illum vniuersitatis Conditorem agnoscere potestis: ita laboribus, et industria, multoque sudore eniti vos oportet, vt agrum, qui vobis assignatus est, copiosa fruge, floribusque nitentem exhibere possitis. Mentem namque humanam animatum quendam esse campum Clemens Alexandrinus ostendit, qui Solis appulsu, hoc est sacerdotis opera, plurima messe inalbescat. Ac rectè intelligi oportet hoc ipsum, quod nunc à me dicitur; appulsu nempe Solis exhilarari terram, et fœcundari arua, eiusdem verò abscessu contrahi cuncta, et mœrore compleri. Sol vitam, lucemque rebus ministrat: tenebras, et mortem, damnaque plurima discedens affert, et ex diuerso innumeras vtilitates, et copiam rerum arbitratu suo nobis importat. Huius sacerdotalis Cali* in-

Genesis cap. 1. v. 24.

Clemēs Alexand. lib. 2. Pędag cap. 10.

influxus idem efficere debent in hominum animis, quod principum potestas erga subiectos. Potestatem namque illam, imperiumque Sanctus Chrysostomus homini illi comparandũ esse ait, qui serendis arboribus, vnde homines alantur; agat vitam. Ne speraueritis, sacerdotes, alium fore, qui intra vestri imperij fines recidere velit spinarum aculeos, et amtri pondere frangere glebas, facere sementem, ac nutrire frugiferas arbores, frigoris, æstusque patiens, nisi vos ista effeceritis. Ad vos cultura hæc spectat: vestri muneris sunt ista: neque tractabit talia quisquam, si à vobis in vlla tanti laboris parte cessatum erit. Non igitur aduersus difficultates huius cælestis disciplinæ, cuius assequendæ rationem et modum vobis explicaui, murmur insurgere vestrum debet, tanquam in hoc toto conuentu reperiri nullus possit, qui votis respondere nostris queat. Id enim quàm falsò diceretur, simul est demonstratum. Sed, vt redeamus ad illud, quod caput nobis, et summa huius instituti sermonis erat, dicimus, sacerdotem eum esse hominem, qui diuinarum rerum scientia, et intellectu, cæteris omnibus antestare debeat. Est namque sacerdos, veluti cor inter cætera membra, si comparetur cum illis, quos ipse regit ac mouet. Magna sanè populi Hebraici calamitas declarata est illis Isaiæ verbis, quibus Propheta diuinus deplorat,

S. Chrysostomus Serm. 15. in cap. 7. Epist. 2. ad Corinth.

plorat, atque insectatur deterrimum statum Principum, et Antistitũ, qui tunc populo præsidebant; Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens. *Inde scilicet fiebat, vt vitiata, et corrupta membra contabescerent, sicuti gregis vniuersi lætissima facies est, cunctaque populo feliciter fluunt tunc, cùm altaris ministri, præsidesque sacrorum suo munere funguntur. Audite Psalmi septuagesimi carmen insigne, quo totum id comprobatur, quod mox dicebamus;* Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum. Pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam. Et pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. *Rex inclytus, et Imperator exercituum, diuinusque Vates magnanimis suis factis erudit nos, ò sacerdotes, et filij. Ex ouium pastore, diuino nutu factus militarium copiarum ductor, administratorque belli, simul atque populorum regimen capesciuit, instituit attentiore cura, solicitudineque maiore nutrire hominum animos ad salutem, quàm quanta solicitudine et cura suos antea agnos pascebat. A pecudum regimine vocatus ad populi gubernacula, tam sapienter, tamque prouidè gessit imperium, vt admirandis eius institutis,*

Isaię cap. I. u. 5.

Psal. 77. u. 70. 71. & 72.

atque artibus nemo temporum illorum æquaretur. In intellectibus manuum suarum: in intellectibus manuum suarum, *ò sacerdotes, nutriuit ouile et custodiuit; qui locus ex Hebraica lectione nonnihil immutata, clarior fit, pulchriorque in hunc modum;* Et in intelligentijs volarum suarum duxit eos. *Vos magnopere erratis, si creditis, impletum vobis esse omne munus erga peccatores, statim vbi supplices illos, ac positis humi genibus, et pandentes arcana pectorum suorum ex formula absoluistis. Magnus hic vester est error: densæ vos tenebræ circumstant: delirioque laboratis, si opinio vos ista habet. Vestrum namque est confitentibus peccata sua imponere salutarem pœnitentiā, et eosdem absoluere; idque si rectè, et ordine fiet, pars impleta vestri muneris erit: sed pars tantùm hæc vna est, aliaque restant considerranda vobis, et agenda, vt infelicium animæ peccatrices expientur. Vim, et lumen, præsidiumque suggeratis oportet, verbisque simul, et re ipsa, et paterno verè animo afflictas mentes inter ipsarum miserias, et prælia sustentetis. Docta manu, hoc est summa prouidentia, solertiaque incredibili agendum vobis est: non temerè incedendum itinere, quo vos consuetudo quadam, et fuga laboris ducat, nihil vltra solicitos, atque cogitantes. Docta autē, et ingeniosa pastori manus erit, si imminentia* *gregi*

gregi pericula, et tabem arcere sciat; artemque norit, qua non depellat modò morbos, vbi iam aduenere, sed prospiciat; atque auertat, ne ingruant, et propinquent. Verumenimverò, quomodo tandem aliqui vestrum hac præstabunt, cùm lumine mentis orbati ferè reperiantur, et sicuti miserrimus ille sacerdos Heli, offusa oculis nocte caligent? Destitutas absque suo pabulo ouiculas relinquis, easque fames absumit, antequam extremam earum necessitatem ipse cognoscas. An verò obiurgationem hanc nostram frustra, falsòque esse susceptam credis? Magna ratione suscepta est, ac veteris Prophetæ verba audi. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. *Iam venere dies isti, quos Propheta denuntiabat: iam adest id tempus, ò sacerdos indigne munere isto, et nomine, quod tenes. Neque tantum inopia terris imminet ab siccitate nimia, procellisque, et ventorum turbine, et stagnantium aquarum effluuio, quantum ab vnica tua ignorantia ad perniciem animarum manat, dum neque hortaris in tempore, neque mones, neque doces, neque obiurgas. An verò salutaria vlla documenta poteris præbere populo: an magistrum, doctorèmque ages, auctoritate scilicet, et sapientia venerabilem, cùm sis planè ignarus,*

Amos cap. 8. u. 11.

experſque diſciplinæ illius, de qua mihi hodierna concione tecum agendum eſſe putaui? Non grauidam, et manantem humore ſpongiam, ſed aridam pumicem: non fontem vberrimè fluentem, ſed ſqualidum ſaxum refers. Abſque oculorum, et linguæ vſu, cæcus, et mutus ipſa parte vlla muneris tui laudabiliter fungeris? Audite muti homines, et cæci, audite qui in prouecta iam et grandi ætate hæretis adhuc lingua, et balbutitis.

Eſaiæ cap.28.u.9. & 10.

Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. *Deſcribunt hæc verba balbutiem puerorum prima litterarum elementa ſummo labore diſcentium. Atque id, quod dicimus, confirmatur magis ex Hebraicæ lectionis conſideratione, cuius lectionis ſenſus ita exponitur pro ijs, qui Hebraicas litteras minimè norunt. Si ſacerdos, vltra puerilem captum, et vltra elementariam hanc infantiam in regendarum animarum prudẽtia idoneus haberi præſumis, atque probatur, dicas velim, an ſint tibi rationes, et argumenta in promptu, quibus diuitem ad munificentiam erga pauperes, pauperem ad patientiam, virginem ad ſui cuſtodiam, coniuges ad mutuam inter ſe pacem hortari poſſis. Iam verò ſi quis flagitijs*

coop-

coopertus, virtutis, et rationis ferè expers, ad te accedat; quomodo tandem huius animum, simplicitamque cœno mentem tractabis? Surdusne, et elinguis eris, sicuti elingues, et surdi in sacris Litteris inducuntur, qui similem tuo muneri curam sustinebant? Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis? *Quid vigiles isti responderunt præsides mœnium, custodesque publicæ salutis? Ne verbum quidem effati sunt, et miro silentio defixa lingua eorum hæsit. Eadem ego solicitudine vos appello, fratres, qui Christi gregem tuendum, pascendumque habetis.* Num quem diligit anima mea, vidistis? *Cupio vestra voce erudiri, cupio monstrari mihi viam à vobis, vt eum, quem amo, pastorali cura, et labore nanciscar. Subiecti vestri petunt talia à vobis, et precantur, neque responsum eorum efflagitationi vllum datis? Nonne videtis igitur, sua vnumquemque cupiditate cæcum, atque præcipitem ad exitium ferri, et ruere in sempiternos ignes? Non per te stetit, quò minus anima illa Tartari faucibus absorberetur, flammisque æternis addicta, et ablegata procul à diuino conspectu, stridore, qualis esse desperatorum solet, sæuitiam tuam execraretur, quā destitueras, prodiderasque sup-*

Cantic. cap. 3. n. 2. & 3.

supplicem, nisi diuina clementia ei dexteram tetendisset, attulissetque salutem. An verò parum hoc tibi videtur, quòd anima vna pereat, atque damnetur sempiternis cruciatibus? Audite quæ dicam, remque sedulò demissam in animum custodite memoria, et considerate diligenter, atque omnes animi vestri partes huc intendite. Thomas Cantipratanus circa trecentesimum hunc ferè annum in Sancti Dominici Ordine vir fuit pietate insignis, qui copiam varij generis exemplorum ex omni memoria collegit, volumineque vno amplexus est. In eo exemplorum libro ita ferè scriptũ extat. Mortuus haud ita pridem vnus homo est, satis celebri fama, qui alia potiùs cuncta agebat, quàm populi curam, cuius ipse pastor erat. Huic ægrotanti Princeps Apostolorum obtulit se per quietem, turbatoque et seuero vultu præcepit, vt librum, quem tenebat, legeret. Perterritus ea specie ægrotus, horroreque perfusus, auertebat aliò faciem, et veluti præsagus diri carminis, quod ille ferebat liber, legere omnino recusabat. Tandem augente Apostolo toruitatem oris, multaque, ni legeret, interminitante, victa pertinacia est, inuitusque perlegit. Scripta hæc erant; Mortificabas animas, quæ nõ moriuntur: & viuificabas animas, quæ non viuunt. *Enimverò magis, quàm antea perculsus ille, qui decumbebat æger, auertebat oculos, et inspi-*

Thomas Cantiprat. lib. 1. cap. 20. par. 2.

inspicere cætera nolebat. Peruicit Apostolus vti legeret adhuc, positamque in codicis margine carminis eius interpretationem cognosceret. Ea sic habebat. Quando de Inferno reduces animas, quas per tuum destitutas exemplum æternis supplicijs tradidisti? *Si vim, sensumque horum verborum tenetis, sacerdotes, nihil vlterius dici attinet: sin autem atrox huius loci sententia vos fugit, non video quidnam ad permouendos animos vestros oratio mea possit afferre. Mea pariter, et aliena verba superuacanea futura sunt, si diuinas obiurgationes spernere potestis, si tonante, et fulgurante Cælo, impauidi, immotique estis. Pro cælestium portarum foribus, Tartari fauces aperuisti; cùmque Beatorum impleri sedes opera tua iustum esset, regna damnatorum implesti. Tua causa gestiunt, triumphantque Dæmones, et amplificantur eorum regna: et spiras ipse tamen, viuisque, et lenta nimis ad supplicium tellus tibi non dehiscit? Quam producere animam potes opera tua Tartari pœnis exemptam, cùm in miserias illas æternas eam ipse præcipitaris? Profer, et siste si quam habes, vt ea causam tuam agat, tibique in hoc iudicio patrocinetur. Mihi quidem promptum et facile fuerit enumerare multos, qui sempiternis nunc ignibus ardent, propterea quòd pastoralem erga eos curam iniquo, impioque animo dese-*

deseruisti. Infelix, et damnata turba si nunc ab Inferis existat, in hac ipsa concione te incesseret hisce verbis. Perfide custos, et fraudulente, cur vitam nobis, spiritumque omnem non ademisti, si odij in nos tui tanta rabies erat? Quid nobis vita, et spiritu est opus, vbi mortem ipsam frustra optamus, spesque est adempta finiendi? Nullum tormenta nostra exitum habebunt: sed ne tuis quidem tormentis initium longè hinc abest, eaque perinde ac nobis, sempiterna tibi erunt. Sacrilega tua vecordia, sacerdos impure, malè coarguitur vocibus hisce nostris, quæ rei atrocitatem assequi non possunt: ipsa te res, et manifesta magnitudo damni accusat, atque condemnat. Animæ illæ, quarum in hac vita confessiones incuriosè, negligenterque excepisti: animæ, quibus nulla ad culpas euitandas salutifera præcepta dedisti, ne reciderent, atque relaberentur: animæ, quas publicè peccantes, minimè castigasti, nunc ob perseuerantem impietatem sempiternis addictæ tormentis, atrocissimè te accusant, non autem hi sermones nostri. Quibus sanè sermonibus non ego difficile existimaui argumentum hoc tractare tam excelsum, et afferre nonnulla, quæ pertinacissimas sacerdotum aliquorum mentes ad confessionem, atque detestationem suorum errorum adducere possent, itaut verè se emendatos fore pollicerentur. Illud quidem su-

supra vires esse meas existimaui ita vobiscum agere, vt hac dimissa protinus concione, non exciderent vobis omnia, quæ dixissem, atque post aliquod inde tempus, ad pristinæ vecordiæ culpã, miseriamque recideretis. Neque sanè viam aliam vllam perspicio eorum saluti, quos nimia negligentia demersos tenet, quàm vt vel minùs in posterum audacter, ac temerè impar sibi onus subeant, qua temeritate, et audacia, calamitatibus æternis appropinquant, vel certè vires assumant maiores ad ea exequenda, quæ iniunctum sibi officium requirit.

SECVNDA DIE
Synodus eiuſdem.

DE STVDIO SACERDOTALI, ſiue Spirituali Scientia.

CONCIO XXXV.

CÆLESTEM doctrinam, de qua proxima concione pleraque me dicentem audiſtis, ſacerdotes, cenſeo ego maiore ſtudio eſſe conſectandam vobis omnibus, quos in hac ſede congregatos hodie allocuturus ſum. Namque ſacerdotio præditi homines non ſolùm ij ſunt, quos huic diſciplinæ aſſequendæ præcipuè deſtinauit Deus, ſed etiam ita deſtinauit, vt ſi ad hoc ſtudij genus nequaquam toto pectore incubuerint, quilibet intelligere poßit, ad nullum prætereà publicum, et laudabile munus eſſe ſuffecturos. Non eſt ſacerdotalis officij tractare mercimonia, et quæſtuoſas artes: non decorus eis, honeſtuſque labor fuerit, pretioſiſſima quæque hinc inde traijciendo, commeare ab oriente ad occidentem Solem, atque ſola ſpe per maris incerta volutari. Iam neque ad belli opera, neque ad propulſandam, inferendamque vim ſunt apti ſacerdotes.

dotes. Non armorum pondera ferre: non infestum expectare hostem: non suo, alienoque sanguine cruentari, mortique obuiam ire, robur illis, animusue est. Non etiam ita instituti, assuefactique sunt, vt agrorum cultu assiduè possint exerceri: non sordidas, atque contritas tellure manus habere conuenit: non versando glebas, pati frigorum vim, et furentes ventos sinu excipere, glaciemque ferre et niues possunt. Non demum est ea solertia, et disciplina plerisque vestrum, vt ad ciuitatum, et Regnorum gubernacula sedentes, publica saluti consulere, ac tenere legum habenas, regimenque nationum possitis: et malè fortasse rem publicam administraretis, licet in eam curam vester animus intentus esset. Quòd si hæc omnia conferre in vnũ libet, optimè cadit in sacerdotes id, quod à Propheta Ezechiele dictum fuit, cùm de vitis natura et proprietate loqueretur. Nam sicuti vites nisi fructus expectatos ferant, in nullam aliam rem vsui esse possunt, nisi vt ignibus tradantur: ita nequam, inutilemque sacerdotem exitus idem manet. Quod perinde est ac si dixisset. Non ad fulcanda maria propter tenuitatem suam vtile vitis lignum est: non magnificis ædificijs, ac ne agrestibus quidem apta materies fuerit. Lanceam inde ad vulnera inferenda parare nemo poterit, clypeumve ad eadem repellenda: non potorium inde,

escariumve vasculum conficies: ac si paxillum ex vite confectum in pariete defixeris, facilè res inde suspensa collabetur. Nunc ipsum Ezechielem audite; Fili hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum? Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? Ecce igni datum est in escam: vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam: numquid vtile erit ad opus? *Ne grauati fuerint altaris ministri audire, quòd vtilitas ab eis expectari nulla possit, quandocunque fructum eum ferre desierint, in cuius spem, atque expectationem diuina manus ipsos, tanquam arbores, in Ecclesiæ agro plantauit ac seuit. Optimè enim Ezechielis illa verba, quæ proferebam, cum Saluatoris ipsius dicto congruunt, quo malam arborem non posse esse frugiferam æterna Sapientia affirmauit. Græcæ vocis interpretatione efficaciùs expressa legitur peruersitas arboris istius, quam ad medullam vsque caries exedit, infelicemque reddidit. Possunt vtique corrupta sic et infelicia ligna oculos fallere intuentium, quasi radice nitantur valida et firma, possuntque cortice tegere vitia, et lacunas: caeterùm latebra, et fallacia eiusmodi nequaquam diuturna erit; nam illa quotidie magis*

Ezech. cap. 15. n. 2. 3. & 4.

Matth. cap. 7. n. 18.

in

in singulas horas corrumpentur, donec radicitus excisa sternantur humi. Malorum sacerdotum minimè dißimilis ignominia est; atque in eos verè cadere posse videntur Saluatoris verba, quibus seniores populi ille increpauit. Nam, quia primo adspectu, specieque externa turpitudinem, labesque peßimorum hominum minimè præferebant, ideo famam, nomenque sanctitatis vulgò assequebantur. Væ vobis, sacerdotes, si quidem malitia et prauitate eò processistis, vt meretrices, et publicani nihilò turpiores vobis reperiantur. Vultisne Euangelij verba audire, quibus hoc ipsum declaratur? Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei. *Vultisne etiam sinceram, atque germanam huius loci interpretationem accipere? Ex Græca lectione colligitur, plerisque publicanis, et meretricibus non apertas solùm, sed patentes etiam fore Cæli portas. Meretrices, inquam, et publicè peccantes cælestis Regni patentes portas reperient, quæ vobis, sacerdotes, claustris sempiternis occludentur. Sed quàm vilis, et contempta sit horum nequitia Numini sempiterno, inde etiam conijcitur, quòd sua ipsi scelera nimiùm manifestè ostendunt ac depromunt; cùmque optabile sit, istorum flagitijs velum obtendi aliquod, ea in clarißimam lucem emergunt: idque summopere auget culpas. Verùm ampliùs dicam, non*

Matth. cap. 21. n. 31.

solum

solum absque inuolucro vllo nuda, et aperta talium scelera prostare, sed absque vllo propriæ famæ, et intuentiũ respectu, sacerdotes diuinis muneribus destinatos, impudentissima audacia antesignanos fieri, principesque consiliorum, vbi de re aliqua pessima deliberatur, et posteaquam deliberatum est, primos esse ad exequendum. Perfidus ille Iudas, et parricida impurus, et horribile monstrum, nonne vt Saluatorẽ proderet, carnifices antecedebat agminis impij ductor? Ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos. *O Iuda proditor, non satis tibi fuerat insidiatorem, atque prænuntium flagitij osculum promisisse, quo necem strueres? O Iuda, cur tuæ crudelitati, furorique concepto parum id eße duceres? An verò latrones inter, et carnifices alios præcipua ad flagitium celeritate concitari te vnum oportebat? Quia sacerdotum eras vnus, et in eo ordine numerabaris, ideo principem te eße oportuit ad rem exequendam, quæ sceleratißimè constituta erat? Ideo itineris monstrator eße debuisti? Ideo animosus hortator apud turbam iniquam, et impiam hæc dicta dares? Ne dubitetis: venite mecum alacres: en ego ille ductor itineris vestri: addite gradum milites, addite gradum. Auditisne ista, sacerdotes? Auditis quæ scripta de vobis, et pronuntiata extant? Ego verò id, quod antea dicebam, repeto nunc, atque affirmo.*

Lucę cap. 22. u. 47.

affirmo. Non satisfaciunt animo suo sacerdotes, neque satietate flagitiorum explentur, nisi in conuenticulis, et circulis suam operam ad peccandum liberalißimè profiteantur; interimque talis est eorum sermo. Relinquite mihi solicitudines, et curas: presbyter ego sum, et forense ministerium vitabo: nunquam ad Archiepiscopum perueniet notitia rei, quam aggredimur. Videtisne, filij, quò temeritatis, et amentiæ peßimi sacerdotes ferantur? Videtisne; non satis habere quosdam, si perditi sint, nisi etiam perditißimi esse pergant? Videtisne quantopere indigeant hac cælesti doctrina, Ecclesiasticisque studijs, de quorum neceßitate sermo hic mihi vobiscum est institutus. Adspicite hos infelicißimos veluti stipites cremandos igni, quia nulla frugifera vis inest. Mementote quæso, aduersùs cariem, verminationemque istam nullum præsentius esse remedium hac interiore doctrina, cuius ope fieri posset, annuente Deo, vt ad virtutis, gloriæque consecutionem, et fructum primi essent. Præter obiurgationem in parochos externa concione factam, reprehendendi sunt vel maximè etiam canonici, qui hanc doctrinam negligenter et incuriosè consectantur. Eos in hoc studio summa solicitudine occupatos esse oporteret, non tam vt summi doctores, interpretesque publici diuinarum Litterarum fierent, quàm vt intelligerent saltem

ea,

ea, quæ cantitant omnibus horis, germanosque diuinarum illarum vocum sensus tenerent. Non ego vos adeo tardos bebetesque censeo esse, vt ea, quæ Latinè scripta sunt, intelligere non possitis; quæ fortasse tarditas et inscitia multorum aliorum est, qui in vestro ordine numerantur, et viuunt. Si rectè vos intueor, nec stupidi, nec plumbei videmini esse: atque in tanta multitudine plerique erunt, qui optimè intelligant ea, quæ pronuntiant et canunt. His non multo labore opus fuerit, vt psalmorum, et hymnorum, et sacræ Historiæ mysteria, notitiamque minimè vulgarem assequantur; poteruntque absque acerrimo illo studio peruenire quò velint, si iucundæ lectioni libri alicuius assuescent. Atque magis dolendum mihi est, sacerdotes, magisque negligentia vestra reprehendenda in eo, quòd absque vllo sacrarum Litterarũ pabulo, ieiunam vobis squalere mentem sinitis, atque per tot annos peregrina vobis lingua, et sermone diuinas laudes vsurpatis. Personant aßiduè diuinis eloquijs aures vestræ sine fructu vllo, quia sententia vos fallit interior, sonumque tantummodo verborum percipitis. Etenim si incertam vocem det tuba; quis parabit se ad bellum? *In tanta dimicatione spiritus aduersùs Dæmones impuros, aduersùs animi perturbationes, in tantis periculis, infestisque casibus, qui mentem aßiduè tuam cir-*

1. ad Corinth. cap. 14. u. 8.

cum-

cumſtant, quomodo armatus eſſe poteris, paratuſque ad pugnandum, ſi ea ſigna non audis, quæ pectus ſtimulare tuum ad ſtrenuè agendum poſſunt? Tu neque promptum in acie animum habebis, neque arma capies, neque carebis metu, neque demum vllam belli legem, diſciplinamque conſeruabis: atque ab hoc primo errore multa deinceps damna conſequentur. Piger enim fies, et ſomnolentus, et obliuioſus, et rationis fere expers: qualis miſeriæ deſcriptio illis Apoſtoli verbis ineſt; Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. Ibid.u.11. *Verborum Dei ſenſus quomodo in animũ deſcendet, ſi peregrina illa tibi ſunt, ſique ſonus eorum tanquã ex alicuius barbaricæ, et feræ gentis lingua accidit ad tuas aures? An fortaſſe ſermonem tuum non intelligit Deus? Non ſanè intelligit, vt exaudiat; quia* peccatores Deus non audit. *Inde ſcilicet poſtea ſequitur, vt dum ſunt tibi peregrina verba, quæ profers, dumque ſemper à verbis tua ipſius vita diſſentit, laborem precando, et pſallendo inutilem ſumas. Nota eſt Ezechielis Prophetæ querela ſtudioſis hominibus, qui Sacra monumenta peruoluunt;* Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulcique

Ioan. cap. 9. u. 31.

Ezech. cap. 33. u. 31. & 32.

sono canitur: & audiunt verba tua, & non faciunt ea. *Cogita nunc, sacerdos, et vide quantò deterior in hoc negotio sis ipsa Hebraeorum gente, Nam Hebraei, licet tardi essent ad exequendum, diuina tamen verba per Prophetas enuntiata intelligebant. Tu neque intelligis, neque exequeris quicquam. Non sermo sacer incusandus est, sed tua stupiditas, proteruiaque, et durities incusanda. Diuino namque sermoni summa vis inest, isque terrarum Orbem olim deuicit, sicuti praeclarè Origenes ostendit, cùm ita diceret;* Christus cepit Terram verbo. *Verum, id fieri non potuit sola perceptione vocis, sed percipiendo mente et animo eiusdem vocis sensum. Id Clemens quoque Alexandrinus monere voluit, cùm referret, non placuisse veteribus Christianis annulos, et signa, quae gladios, et arcus, imaginesve Deorum manium incisas praeferrent; potiùs autem anchoram vnam, siue nauigium aliquod, siue lyram incidere consueuisse. Haec lyra cantus vestros designat, sacerdotes; illeque concentus, quo resonant templa, docet quomodo affectam esse mentem oporteat tunc, cùm excitatu cantu in diuinis laudibus celebrandis occupatur. Plenam interiore concentu esse mentem oportet, vt caelestibus illis modis, et numeris turbulentae perturbationes ad tranquillitatem adducantur, atque ita summa pace perfruatur animus noster.*

Origenes Homil. 16. in Iesu Naue.

Clemēs Alexan. lib. 3. Paedag. cap. 11.

An-

Antiqua Pythagoraeorum schola studio tranquillitatis huius, et pacis mirifica quadam instituta seruabat, de quibus ita proditum est, consueuisse eos certis temporibus in solitaria, et nemorosa loca conuenire, atque ibi sedentes, compositosque in orbem, post varia colloquia, quibus ad rectè agendum incitarentur, sublatis vno ore vocibus, quosdam inire modos, quibus ab omni vitiorum labe purgari sibi animum referebant. Sed Ecclesiae Principes, et Maiores nostri quantì fecere concentus hosce solennes, modulationemque laudum diuinarum? Intra hac ipsa moenia inclytus Augustinus inenarrabili animi sui motu caleste melos audiuit tunc scilicet, cùm magni Ambrosij discipulus esset. Hymnos huius Ecclesiae simul, et Magistri sui, nostrique Pastoris eloquentiam admirabatur. Per omnes deinde terras hac pia consuetudo hinc diffusa est, et piorum coetus laudabile hoc institutum auidè arripuerunt. Et credibile est, magnum quoque Pontificem Gregorium nequaquam sibi indecorum putasse, si artis huius magister fieret, ac de ea re historiae sic habent. Decumbebat Sanctus Pastor ob graues, assiduosque morbos, quibus obnoxius fuit. Et quamuis affixus lectulo teneretur, non ideo ab legendi, scribendique laboribus, et exercitatione virtutum cessabat. Inter caetera mirifica exempla, quae edidit, admirabile fuit illud, quòd

S. Augus. lib. 9. Confess. cap. 7.

S. August. lib. 5. Confess. cap. 13.

Ecclesiasticos adolescentulos, qui Romæ erant, ad ritè, pièque canendum ipse sibi erudiendos sumpsit, sanxitque, vt eius generis scholæ futuris temporibus haberentur; atque vt magis, magisque floreret ea disciplina, multa prædia et fundos ad scholas eiusmodi sustentãdas liberalißimè aßignauit. Scriptum verò est in annalibus eorum temporum, apud Lateranensem Ædem tunc spectaculo gentibus fuisse lectulum, in quo Sanctus Pontifex decumberet, scuticamque, qua cantitantium puerorum errores plecteret vnà cum grandi codice, in quo descripta Responsoria, et Antiphonæ legerentur; atque hæc cælestis illius scholæ monumenta reuerenter fuiße conseruata, sicuti deceret. Quid nunc, pij homines, timentesque Deum, videtur vobis, quiue sensus est vester de nonnullorum canonicorum miseria, quos apud Dei templa ferri ac tolerari ampliùs minimè oporteret, cùm sic ibi agant, quomodo vilis et plebeia turba in compitis, circulisque agit? Insignia illi sua, et vestem proteruè sumunt, quasi toracem, et galeam ituri in prælia sumerent, et alienata mente canunt, corrumpuntque diuinas voces. At Pontifex Maximus Gregorius summo inter mortales honore præditus, quem tot negotia, tot curæ circumstabant, tam alto vir ingenio, tanta prudentia, tantus et scriptor, et concionator, ille inquam, magistrum se chori, diuina-

Ioannes Diacon. in vita B. Gregorij lib. 2. cap. 6.

uina-

uinarumque modulationum præbet. Ista verò peruersitas, et vecordia canonicorum ad alios quoque serpit; et sicut optima quæque instituta ad alias subinde res transferuntur: ita pari traiectu vitiorum, et societate, culpa hæc, et nequitia canonicorum ad sacerdotes quoque peruenit eos, qui ad celebranda sacra adhibentur. Ad horum quoque emendationem aliquid præcipere tempus est, ita tamen, vt canonicos interim hæc ipsa, quæ præcipiemus, audire oporteat, velut ab ipsorum etiam officio, et emendatione minimè aliena. Vos itaque alloquor, sacerdotes, quorum sacrata manus verum Christi Corpus tractant. Vos alloquor, qui sanctissimi mortalium, et innocentissimi esse deberetis. Adoratis enim Deum in ea ipsa sede et loco, quem sacrosancti illius pedes attingunt. Cum Psal. 131.u.7. *Hebræa gens post longa itinerum spatia per horridas, inuiasque solitudines ad radicem Sinai montis peruenisset, in cuius vertice gloria Domini intra mirificam illam nubem habitabat, monitus est diuina voce Moyses, ne populum erigeret per ardua montis, neve illuc facere gradum sineret. Ipsi enim tantummodo, et Aaroni licitum esse ascendere illuc. O aram, ò aram, ò Dei montem, domiciliumque maiestatis eius, et sempiterni Regni solium, montemque deliciarum, in quo cælestibus epulis cuncta referta sunt; vbi magni Regis ciui-*

tas,

tas, et excelsa Ierosolyma circumfusa choris Angelorum, qui innumerabili agmine excubias agunt. In huius montis editißima parte sub candidis purißimorum accidentium nubibus ignis delitescit ille, cuius splendore cuncta illuminantur. Vnde tibi tam fortis animus, pectusque tam aneum, ò sacerdos? Quomodo figere pedem potes: cur non tibi manus intremiscunt: cur non acies oculorum perstringitur, cùm ad diuina mysteria accedis? Atqui ea tua dignitas est, vt, ceu Moyses, et Aaron, montem scandere solus poßis, intereà dum reliqua multitudo ad radices in infima parte relinquitur, et iacet. Heu quantopere trepitandum tibi, pauendumque esset, cùm tam sordidis, abiectisque moribus tam altè euectus fueris, atque in tali fastigio collocatus? Hebraica multitudo plena trepidationis fuit, cùm ad radices tremendi montis in remota parte iaceret: vos securo animo subire illuc, et appropinquare potestis? Heu quàm timeo, ne ab tanta illa gloria fulmina magis, et fulgura, quàm splendores, et radij nonnullis immittantur, quorum auribus Apostolicum illud inculcari necesse sit; Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accensibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubę sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum.

Ad Hebr. cap. 12. u. 18. & 19.

Con-

Consternata terrore iacet Hebraica turba, et propter metum, Dei vocem auribus admittere recusat: vos verò sacerdotes, qui montis huius verticem scanditis, quo tandem animo, quave ad rem tantam præparatione gradum istuc explicatis? Cæremoniæ omnes sancti altaris nonne diuinitus, hoc est Ecclesiæ Sacrosanctæ auctoritate constitutæ sunt, quam Dei Spiritus regit, et ab omni parte gubernat? Si cæremoniæ istæ res humanas spectarent, nonne tibi commoueretur animus, velles que intelligere quònam res tota pertineret? At quia diuina sunt instituta, contemnentur? Quin potius accuratè cognoscendum tibi est quæ mysteria cæremoniarum sint, quid ritus vnusquisque demonstret, ne speciem tantummodo externam, atque id, quod subest oculis, intueare. Hoc enim planè cæcorum esset, qui offusis æterna caligine oculis, consuetudine tamen diuturna pleraque faciunt, non secus atque si luceret ipsis dies. Cæcos vos planè dixerim, sacerdotes, si quidem rationē, et mysteria cæremoniarum ignoratis, quibus cæleste illud opus apud sancta altaria vestris manibus administratur. Ea enim tanta res est, vt vnumquemque magnopere solicitum esse oporteat, ne quid in tali ministerio perperam, atque incautè gerat, neve casu aliquo importuno sacra contaminentur. Reperientur aliqui tamen, qui peracto sacro, quā-

primum

primùm absque vlla cura, vel purgandi, tegendique altaris, vel disponendarum rerum, templa relinquunt, et potiùs alia cuncta sedulò curant, et quocunque tulit voluntas, cogitationem animumque intendunt. At minutarum, humiliumque artium homines attentißimè versantur in opere faciendo, curasque alias omnes repudiant, et negotia postponunt, quia capti sunt amore artis suæ, vnamque eam aßiduè meditantur. Ad huius rei fidem, atque testimonium erigite nunc, auditores, mentis vestræ oculos, atque per huius inclytæ vrbis compita circumspicite non grandi iam ætate artifices, sed simplicem, teneramque ætatem, et infantes ipsos pleraque mirificè agentes. Nonne vobis artificia pretiosa, et delicata rudis ætatis obuersantur? Accedite nunc ad tabernas, et ad artium domicilia, opificesque illos interrogate, num segniter atque oscitanter didicerint eam artem, et num intra breue spatium opera absoluant. Statim et promptè respondebunt, atque etiam ostendent, nonnisi post diuturna experimenta, diuturnamque exercitationem contingere alicui posse, vt laudabiliter ac probè quidquam agat. Sed ne suspicati fueritis, augere me dicendo culpas vestras, dicat mihi vestrum aliquis, num arti suæ adlaborauerit ea solicitudine, qua in suis artificijs opifices vtuntur. Si ita res eßet, non solùm

attentè,

attentè, et sedulò diuina officia perageretis, sed omnes animi vestri partes inter agendum sanctæ contemplationis feruore complerentur. Ne quæso dixeritis, filij, ignotam vobis esse contemplationis huius artem: ne quæso dixeritis tale quidquam, viri Mediolanenses. Scimus enim, plerosque vestrum ibi esse enutritos, vbi tenera ætas, annique meliores spirituali disciplina optimè imbuuntur; ideoque, vel amens, et stolida, vel maligna excusatio haberetur. Quòd si subsidio aliquo ad pietatem in hac parte exercendam indigeretis, nulla vnquam Christianæ religionis ætas fuit magis fœcunda librorum, atque magistrorum, et scholarum, quibus precandi, vel contemplandi ars traditur, quàm ætas ista, in quam ipsi incidimus. Si verò etiam tardam, sopitamque sibi esse mentem, ideoque minimè contemplationi aptam, aliquis dicat, vtar aduersùs eiusmodi excusationem antiqui Oratoris argumento, qui cùm ciues suos ad patriæ defensionem hortaretur, ita aiebat. Unde ordiri bellum expediat, non oratio mea, sed ipsa vos arma erudient, dummodo dimicandi initium fiat. An disciplinam inueniri posse aptiorem putatis ipso vsu, magistrumque experientia quotidiana meliorem? Si disciplinam, magistrumque hunc recusatis, nullum habere magistrum vultis, apertèque declaratis, quòd ars, et res ista vo-

bis odio sit. Id porrò hominum genus habile minimè est ad diuinæ Gratiæ munera excipienda, tristeque spectaculum exhibet, dum quotidie rem diuinam faciendo, nullum tanti Sacramenti fructum emendatione suæ vitæ præfert atque ostendit. Primis Hebraici populi temporibus, miraculi loco fuit, quòd spinarum rogus arderet, neque consumeretur, perculsusque illius admiratione rei Moyses, talia dixit; Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. *Tu verò antiquissime, et magne Pastor stolidi gregis, scias fore tempus aliquando, cùm maioris rei admiratione suspensæ mortalium mentes hærebunt, dum scilicet sacerdotes diuinum quotidie Saluatoris Corpus contrectabunt manibus suis, eoque simul cibo, et potu reficientur, et interea participes diuinitatis erunt: neque tamen conflagrabunt animæ eorum, nullamque ardentis zeli flammam pectora concipient, viuoque illo igne malitia, prauitasque insita nulla ex parte consumetur. Cur fit hoc, sacerdotes? Quia vester animus minimè attentus est ad sacerdotale studium, de quo loquimur; neque cælestis vitæ cogitationem vllam suscipitis precando, et contemplando; neque officij vestri munera respicere vultis. Atque inde origo eorum omnium malorum existit, quæ vestras mentes occupauere. Quæ vitæ instituta*

Exodi cap. 3. n. 3.

et

et mores dum retinetis, absurdum, stultumque est incusare Æternum Numen, si parcè vobis et restrictè cælestia dona impertiuntur, cùm damna quidem vestra ipsi deploretis, sed damnorum originem vltro foueatis atque conseruetis. Quamobrem, misera nimiùm atque infelix conditio sacerdotum est, qui prauè flagitiosèque viuunt: namque cæteri mortales parùm laborare solent, vt cælestia dona assequantur: laborem enim odere, qui necessariò insumendus est. At sacerdotes infelices assiduo labore, et cura mercedem, fructumque nullum assequentur; eruntque infeliciores seruis abiectissimis, qui lucro saltem labores suos, et præterita incommoda solantur. Ideo, qui tales sunt, in se minas illas intentatas esse meminerint; Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngêris oleo; & mustum, & non bibes vinum. *Obstinata sua voluntate in hanc miseriam, calamitatemque ducuntur; quandoquidem regalis illius diuinæ mensæ honore dignati, minimè aluntur pretiosis illis epulis, sed famelici errant, perpetuaque siti vrente, rerum humanarum inania consectantur. Neque id refert, quod sumant vtique Christi Corpus, hauriantque bibendo veracem illius sanguinem, cùm interea testentur vita, actionibusque suis, nullam adhuc se gustasse tantæ dulcedinis partem, nullumque ex eo salu-*

Mich. cap. 6. v. 15.

tari cibo alimentum ad confirmandas animi vires sumpsisse: quod Propheta Aggaus huiusmodi verbis exprobrauit; Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. *An tu, sumendo quotidie sacrosanctum Christi Corpus, meliorem te esse factum ostendere potes? Vbinam sunt emolumenta tanti negotij, quæ reportasse debebas? An tu vllas virtutum opes proferre poteris tali commercio conquisitas, et inuentas? Nondum auri fames mitigata est, adhucque sitiens auaritia torquet te, et vrit. An tu rerum humanarum sensum abdicasti, et velut diuino amore temulentus, nihil moueris, si qua iniuria tibi illata est, si quid minarum intentatur, vel si quæ alia mala in caput tuum incubuere? Nunquam charitatis ardor, flammaque illa purissima durum tui pectoris gelu dissoluere potuerunt: ideoque timore consternaris, quotiescunque muneris tui causa res aliqua grauior, tristiorque suscipienda est; ac demum, vbi tremenda mortis hora instabit, et vbi deueneris ad horribilem eum transitũ, timore insano corripieris. Videbis enim, errando te per vanos humanarum rerum tramites absque fructu et vtilitate vlla deuenisse illuc.*

Aggæi cap. 1. n. 6.

Hæc

Hæc vera eſt interpretatio verborum, quæ paulò antea ex Propheta attulimus; neque in aliam ſententiam locum eum accipi oportet. Ac fieri nihilominus poterit, vt contumaces iſti, talia de ſe audiendo, perſeuerent tamen eſſe qui fuerant, neque mores induant diuerſos, neque depellere cupiditatum tabem velint, aduersùs quam nullum altaris myſterio præſentius remedium erat? Continet Hoſtia conſecrata proprium, viuumque Corpus Saluatoris; qui Saluator nonne medicus ille eſt, qui ſalutem vobis offert? Numquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? *Nonne Sacramentum hoc aptiſſima noſtris malis medicina eſt? Remedium vtique hoc è Cælo delapſum in terras tanta vi præditum eſt, vt aduersùs quemlibet animi morbum ſalutariter adhiberi poſſit. Iam igitur quid cauſa eſt, cur è ſua tabe ſacerdos conualeſcat nunquam?* Quare igitur non eſt obducta cicatrix filię populi mei? *An fortaſſe nullis remedijs ſanabilia ſunt illius mala, nullamque medicinam admittunt? Minime id quidem: ſed potius dici poteſt, malum ideo non ſanari, quia ſalus ipſa repudiatur. Id ita eſſe ex eo intelligi poteſt, quia neque rectè præparantur iſti, cùm ad myſteria ſacra accedunt, neque poſtquam acceſſere, animum à peccando abſtinent. Ita fit interdum, vt quo die ſummum illum cæ-*

Ierem. cap. 8. u. 22.

Ibid.

leſtis

lestis patriæ thesaurum adepti sunt, eodem tantis spoliati opibus reperiantur ob peccandi licentiam, atque consuetudinem, quasi Lot alter, qui diuinitus accepta beneficia obliuione deleuit. Cuius antiqui hominis casum si nunc ego memorare voluero, atque rem tibi totam repræsentare, sicuti gesta est, poterisne sacerdos ita confirmare animū, vt ea, quæ dicantur, audire queas? Eloquarne adhuc, auditores, an silebo, remque fœdam nimis, atque detestabilem silentio inuoluemus? Viuis adhuc, sacerdos, et ebrius aliquando conspectus fuisti, non vini potu, sed cupiditatum insanarum violentia, quæ te fœdissimè prostratum atque humi abiectum ostendit. Atque id accidit eo die, qui te dies sacræ confessionis beneficio ex flagitiorum incendio, et fornace subleuarat; et paulò antea inter Angelorum choros steteras ad aram, eorumque alloquijs, et consilijs frui concessum tibi fuerat, et sua ipsi manu te deducebant. Vlteriusne adhuc mihi progrediendum erit talia percensendo? Diuinas priùs recensebo voces, quas audite; Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo. *Væ tibi, sæuissimè pater, si infide egeris erga partus tuos, quos per diuina mysteria procreasti. Heu fuge sacerdos,*

Genesis cap. 19. u 30.

dos, fuge suadentibus nobis solitaria nimium loca, lethalesque specus, fuge non externos tantum, sed eos etiam, qui alicuius sacramẽti, aut necessitudinis vinculo coniuncti tecum sunt. Ne credideritis, temerè nos in hunc sermonem esse ingressos, nullamque causam habere talia vobiscum agendi. Audimus enim, esse nonnullos adeo perditos, vt tristiora etiam tentauerint, ausique fuerint. Ideo, admoneri debent, ne soli relinquant sacrilegij exemplum; quod ne Caimus quidem ipse committere ausus fuit. Infelix ille, patrata fratris nece, tantum vtique sanæ mentis habuit, vt diuinum conspectum ipse perhorresceret: taliaque dixit; Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. Genesis cap. 4. u. 14. *Ne Cælum quidem intueri voluit, non potuit adspicere lucem, non ducere spiritum, quia tanto flagitio contaminatum se inuisum esse Numini illi Æterno censerat. Fugit culta loca, frequentiãque hominum, et cumulatum mœrore pectus ferens, oblectamenta et solatia cuncta auersatur, quia flagitio se se temeratum videt, taliaque effatur. Poteritne Caimus adhuc tranquillam ducere vitam, animoque læto spatia Mundi incolere? O aram, ò sacra, ò victimas, ò dona tam propitia mihi olim et secunda! Non vltra vos adspicient oculi mei circum ea loca, vbi tanta cum*

animi

animi mei iucunditate vos tractare, atque obire consueui. Auditisne, filij, flebiles hosce Caimi sonos? Auditis quid sonus iste vos doceat? Docet, non abijcere desperatione animos, sicuti ille abiecit, non voces proferre detestandas, quæ diuina misericordia maiorem vestram esse culpam dicant, non deserere sacra, exiliumque sumere à rebus diuinis; sed docet, et monet, ne contaminati atque temerati, et Deo inuisi ad altaria accedatis. O diuinam vltricem iustitiam, quousque tandem silere decreuisti aduersùs communem omnium expectationem, desideriaque, et necessitates humani generis? Quousque vindicare supersedebis illatas iniurias æternæ Maiestati, nisi tamen ad meliorem frugem ingenia ista redire maturent, conuersique homines isti ad pænitentiam, lacrymarum vim, vel vnam certè lacrymam fundant? Diuinam illam supremamque bonitatem offendere audes impie sacerdos? Vnde tibi tantum audacia? Vnde tantum roboris animo tuo, vt errores intuendo tuos, temperare à lacrymis queas? Leuissimæ oblectationis causa, vt commodius aliquanto vitam agas, vt acquiras opes, incommoda multa sustinentur: vbi de salute tua, ac de suppliciorum æternorum euitatione agitur, tam pauci sunt qui animo attento, sanisque consilijs talia respiciant atque intueantur. Quisnam

ille

ille perditus vos docuit, sacerdotes, tam licenter, ac proteruè contemnere sacrificiū augustißimum? Non sanè ego credideram, vos templa esse profanaturos, cæteraque sacra, et purissimam Christi mensam esse contaminaturos. Melius, rectiusque fuerat, venerandi sacerdotes, tranquillo vos animo, et læto perfrui bonis, quæ conditio vestri status offert, fidelique erga Christi gregem custodia solicitos, vitam agere contemplando, et sacrificando puris animis, quàm sacris etiam, et sanctis rebus ita abuti, vt quæ Cæli vobis aperire portas debuerant, præcipites agant vos ipsos in Tartari fauces, pœnasque sempiternas.

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

DE STVDIO SACERDOTALI, siue Spirituali Scientia.

CONCIO XXXVI.

SI veteris memoriæ casus repetere voletis, venerandi sacerdotes, atque reuoluere cogitatione memorabilia eorum exempla, qui longißimis ante memoriam hanc temporibus, in vestro cœtu, atque ordine fuerunt, et munera obiere illa, quæ nunc ipsi sustinetis, dubitare non debeo, quin non obiurgationes meæ modò, acerbioraque verba dolorem vobis afferre poßint, sed etiam mediocriter ab alijs laudati, morsus doloris acres intimosque sentire poßitis. Acerba sanè nostra fuit oratio, quam biduo superiore habuimus: neque tamen credatis velim, acerbitate me vti tanta ad contemptum ignominiamque vestrum, quasi proiecti sitis in conspectu meo, vilesque vniuersos habeam. Quæro quin potius à vobis ipse, et peto, vndenam vnquam in vestro cœtu malefica herba potuere oriri, quave tam hostilis, et inhumana potuit esse terra,

quæ

quæ pestiferas adeo, venenatasque arbores daret, vnde baccæ lethales in regionis vestræ perniciem, ita defluerent. Sanè nollemus, similes vos esse pelago, in cuius sinum propter amplitudinem illius, atque vastitatem euomunt sese aquæ omnes; puræ simul, et turbidæ; putres pariter, et integræ; salubres, et pestiferæ sine discrimine vllo illuc vergunt atque prolabuntur. Dolor animo meo magnus esset, si Ecclesia hac nostra præ Ecclesijs alijs, in profunda, et vliginosa valle posita esse videretur, quæ venenatos angues metu mortis aliunde profugos foueret, receptaculumque illis praberet. Milites isti transfugæ à signis suis, peregrina ista perfidia, vagi isti, et extorres, et ad peccandum proiecti, debebunt aliquando in diem incidere illum, quo velut agnorum pelle tecti lupi, procul à gregibus nostris amandentur. Non solum incitamenta vobis isti sunt ad peccandum, exemploque suo licentiam inuehunt; sed etiam flagitijs ipsi suis famæ vestræ splendorem, et huius Ecclesiæ maiestatem apud gentes alias plenè obscurant, atque deturpant. Hinc postea fit more rerum humanarum, vt vitia ipsa transeant in animos vestros, ibique radices agant, et crebro peregrinitatis germine sic adhærescant vobis, vt quæ aliena, et externa instituta fuerant, ceu propria, et germana amentur. Ita protinus apud animos vestros peruersæ cupi-

ditates adolescunt, subeuntque pulso virtutum, et studiorum amore, de quibus antea vobiscum egi, tolliturque in hunc modum scientia vniuersa spiritualis. Id quomodo fiat, faciliùs intelligetis, sacerdotes, si genus humanum, cùm in incunabulis adhuc suis esset, nondumque adoleuisset, diu nullis adstrictum fuisse legibus sciatis. Nam rectores populorum, et quicunque ad fastigium peruenire illud potuerunt, ipsi lex normaque vitæ erant; studebantque vltro, vim et auctoritatem legum ipsarũ æquare; atque id sanctitate vitæ assequebantur. Ita principatus, et præfectura non ab iniurijs vllis, et violentia, sed à modestia, et virtute originem habuere; cùm imperitantes obedirent simul rationi, paternaque cura regerent populos, et beneficijs tantummodo regnarent. Sed quid postea factum est, auditores? Procedente tempore, ordo ille pulcherrimus, simulque Mundus ipse corruptus fuit; cùmque præclara illa instituta paulatim exolescerent, cœpere Principes armari legibus, manauere hinc edicta, et longè diuersa gubernatio generis mortalium adhiberi cœpta est. Nam dum exuerent plerique legem honestatis, et æqui, pœnarum acerbitas remedio fuit, vtque in viam reuocarentur, supplicia innumerabilia adhibita sunt. Neque profanæ memoriæ monumenta à sacris Historijs in ea re dissentiunt, quantum ego perspicere

 pos-

possum. Nam post creationem Mundi huius misera mortalitas propter scelus suum indiga solatij, subsidijque alicuius erat. Inde cura Numinis fuit, vt pro sua misericordia daret humano generi praditos auctoritate rectores, qui piè tuerentur eorum vitam; atque isti, veluti terrarum omnium imperium ob eximia sua merita accepissent, Patriarcha nuncupati fuerunt. Verùm, quia homines neque exemplis, neque hortatu vllo à prauitate sua reuocabantur, vitamve meliorem instituebant, leges solicito studio et cura adhibita sunt, quarum seueritate hominum vitia iustis pœnis coercerentur. Hinc fit, sacerdotes, vt si tales essetis, quales vos esse oportebat, non tanta nobis necessitas iniungeretur frequenter habendi concilia, et synodos, legesque subinde nouas scribendi. Nam temperato erga res humanas amore, nihil è via recta deflectentes, iustitia normam teneretis, vltroque essetis ipsi duces alijs ad rectè viuendum, vosque ceù leges viuas cateri intuerentur. Sed quia satis intelligere potestis, rem Ecclesiasticam in deterius esse lapsam, atque leges in miserum propè statum deuenisse, pati saltem non debetis, sacra monumenta, librosque, et leges iacere magistrorum, et doctorum ope destitutas. Huius disciplina principatus, pracipuaque diuinarum legum peritia penes vos esse debet: diuina arcana interpretari et aperire

po-

populo vestrum est, ne grauissima illa querimonia
Ad Hebr.cap.5. u. 12. *vestra culpa locum habeat;* Etenim cum debe- retis magistri esse propter tempus: rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. *Non vos obliuisci debetis, neque tantam alicui vestrum inesse vecordiam arbitramur, vt semper repetere necesse habeamus, instar vos esse Philosophorum illorum, qui forti animo populi vitijs obuiam ibant, impetumque eorum inhibendo, cæcas hominum mentes in viam deducebant. Non profanorum magistratuum; non eorum, qui cæteros diuitijs, atque honore antecellunt, cura ista est, sed vos propriè singulariterque attingit. Simul illud reputate, culpas vestras simillimas esse parentum errori erga filios suos, dum in paterna cura, officioque admittunt peccantque multa, grauiore vtique piaculo, quàm si seruus aliquis, aliusve quispiam eadem illa commisisset. Augetur insuper vestra culpa, dum apparet, vos eosdem illos esse, qui semper fueratis. An verò cùm vergant vobis anni, ætasque ad senium inclinet, puerorum more agetis? Præcipuique sapientia, et diuinarum rerum intellectu aberrabunt? Et rerum abiectissimarum cupidine, pessimam prioris vitæ formam retinebunt? Quid tandem in hoc negotio dicturi estis? Mala*

for-

fortaße vestra neque fuisse, neque eße tanta, quanta memorantur? Verè id fortaße diceretis, si eleuarentur hoc ipso, quòd ea parùm videtis. Vecordia, negligentiaque vestra similis est corporis ægritudinibus, quæ origines habent occultas, diuque latitando, demum vno repente momento ita prodeunt è latebris suis, vt tempore eodem, et causa ipsarum intelligantur, et sentiatur venenum. Ita planè quotidiana negligentia, culpæque diuturnæ latent illa quidem animos vestros, neque singula cernuntur, sed erit denique tempus, cùm vniuersa vobis proponentur ante oculos; tunc scilicet, cùm vel ad aliquam populi perniciem ea redundabunt, vel vos in iuditium vocati, non sine magno Ecclesiastici ordinis dedecore publicè graues pœnas luetis. Tunc denique, sacerdotes, vitæ vestræ flagitia, solutamque disciplinam cernetis, cùm propinqua morte decumbendum erit. Nam antea munus vtcumque vestrum obeundo, vanèque gloriando, tanquam magna virtute præditi eßetis, frontem præferebatis eam, quasi nihil eßet in vobis, quod meritò culpari poßet. Atque vestra ista calamitas similis erit hominum miseriæ, qui diù felices prospera, et secunda omnia experti fuerunt. Nam felicitas denique illa cum repentinis circumuenta casibus, vel corporis morbo aliquo deprehensa est, repente in tanta rerum mutatione

cuncta

cuncta prioris vitæ flagitia, quæ antea delitescebant inuolucro tecta felicitatis, nudantur atque aperiuntur. Vos quoque inducere non poteratis animum, vt crederetis, malè agi cum grege vestro, nisi publicæ calamitates ob negligentiam exortæ vestram, nisi fama communis, sermonesque inimicorum vestrorum id ipsum apertè monstrassent. Ne flagitium quidem, culpamque vestram tantā esse crederetis, quanta vtique est, nisi horrenda, et inusitata illius forma vobis repræsentarentur, per quas cernere possitis in cæteris populorum rectoribus nimia commoda, otiumque iners, et languidissimæ negligentiæ culpas alias ingratas quidem esse Deo, sed in sacerdotali vita ea ipsa sacrilegiorum obtinere vicem. Itaque in vestro hoc munere, officioque pastorali non minùs timenda sunt otij damna, quàm damna sacrilegiorum, quæ multa, et grauia sæpe nata ex otio compertū habemus. An fortasse nouum hoc, et incredibile dictu videri voletis? Quomodo tandem possetis inficiari, si quis vestrum de ea re interrogaretur? Quid causæ est, cur in quotidiano sacrificio, cæterisque diuinis officijs non adhibeantur ij apparatus, quos adhiberi oporteret, neque templa, neque sacra colantur, atque custodiantur? Dicite nunc, sacerdotes, dicite inquam, si animo vestro tantum confidentiæ est, temerarias absolutiones, atque negligen-

gligentiam in administratione sacrorum aliunde oriri, quàm à perniciosa ista laboris fuga, negligentiaque, et obliuione rerum. Neque sperandum est, posse publica hæc damna, communesque ruinas aliena solicitudine resarciri. Si litem aliquam de patrimonio, reque vestra susceptam haberetis, amicitiæ proculdubio, et gratia potentum, consanguineique, et beneuola vicinitas adiumento vobis esse possent: sed ne credideritis, vllum alium, mercede quamuis magna conductum, posse negligentiæ vestræ sarcire culpam, officiumque recitare vestro nomine, populosve erudire, tum increpare, tum ad custodiam excubare gregis, intereà dum ipsi desides, atque in otium segne resoluti iacetis. Quod si à vobis fieret, vnusquisque sanè vestrum ad aliud minimè aptus esset, quàm vt infelicitatē, atque damnationem collegarum suorum testificaretur. Atqui meminisse debetis, tunc, cùm in Christi militiā adscripti receptique fuistis, arma vobis fuisse data ad dimicandum, sacramentoque adactos fuisse in vigilias, laboresque perpetuos: tuncque vnà cū velamentis, insignibusque officij vestri, et munerum aliorum, quæ largè vobis diuina manu tribuebantur, sumere debuistis etiam magnanimitatem atque robur, tum conditioni vestræ consentaneum, tum Maiorum vestrorum gloria dignum. Sed plerique vestrum, neque tunc id fecere, ne-

que cogitationem hoc tempore vllã habent emendandi, quæ olim deliquere, delendique labem, quam pudendam, grauemque susceperunt. Gemmarum, et auri, humanarumque vtilitatum; dominandi quoque tanta cupiditas et dulcedo apud animos mortalium est, vt interim iactura æternæ salutis fiat. Quæ insana cupiditas et dulcedo licet excusationem vtique nullam habeat, considerare tamen debemus quantum nobis periculi immineat hinc ab tentatione assidua Dæmonum, hinc ab rerum obiectarum illecebris, quæ nimium valent, hinc ab amore sui, qui vniuscuiusque animo insitus est. Quòd tranquillo, et securo animo in æternas ruere pœnas velitis tam vili obiecta mercede, quàm inertis otij, turpisque negligentiæ fructus fuerit, id haud aliò, quàm ad vestram referri miseriam calamitatemque oportet. Erigite tandem animum in eam curam, vt tantis malis remedij aliquid per vos exquiratur: contenditeque quàm celerrimo gradu, vt in extremo vestro discrimine vobis ipsi subuenire possitis.

PRI-

PRIMA DIE Synodus

ANNI M.DC.XIX.

QVÆ FORMA CONCIONVM debeat esse Parochis.

CONCIO XXXVII.

NON semper vrunt radij Solis, venerandi sacerdotes, neque semper riget terra gelu, nec semper horrida Cæli facies nebulas offundit nobis, ingruuntque tempestates: sed variante subinde Cæli habitu, silent venti, liquidamque et serenam haurire lucem, et circumfusum vndique aera adspicere nobis datur. Scilicet ad varietatis huius quoque similitudinem dixere veteres sapientes, non semper optimo oratori increpandam esse multitudinem, non semper tonandum, et fulminandum, sed diuersas interdum tenendas concionum formas. Ideo, con-

ciones nostræ fluminum naturam, variosque flexus similitudine quadam referunt atque imitantur. Nam flumina videmus alia lentas vehere vndas, tranquilloque et lenißimo cursu neque attolli, neque superstagnare: rursus alia in adiacentes erumpere campos, rapidisque vndis inuoluere cuncta, et secum auferre dorso mortalium corpora, et merces. At nihilominus tam inertes et lentæ, quàm fugaces, et violenta aquæ venas habuere salubres, tamque diuersi amnium cursus, et vultus mirificas vtilitates aperuere mortalium ingenijs, ipsique naturæ artifici, ac venatrici talium vtilitatum. Non igitur, fratres, sacerdotesque nostri, inusitatum hoc nouumque videri vobis debebit, quòd ab instituta nostra consuetudine sermonis paulisper ego hodie deflectam, acresque verborum aculeos relinquendo, familiarissimè vobiscum, et tranquillissimè agere nonnulla incipiam. Nam loqui vobiscum debeo, non sicut ego vellem, sed sicuti fore vobis vtile perspicio: neque necessitates alienas studijs metiri nostris, sensuumve nostrorum sequi famem debemus, sed rationem sequi ducem vnicam oportet. Alioqui digni essemus ea reprehensione, vel pœna, qua plectuntur qui cibos intemperanter appetiuere. Sedato igitur et quieto sermone mihi in animo est hodie demonstrare pastoribus animarum custodibusque populorum quam sequi formam orationis

tionis debeant, vt auditoribus suis persuadere possint ea, quæ sibi proposuere. Neque vero quemquam esse velim in vestro numero tam proiectum et audacem, vt se solicitudine ista liberum esse posse confidat, neque lege hac teneri. Nam tot legibus, ac decretis res ista constituta olim fuit, vt hæc decreta, et leges violare nemini fas sit, minuereque earum auctoritatem. Consensus namque, et summa antiquarum eiusmodi legum hæc est, debere pastorē vnumquemque pascere suum gregem, nec exemplo solum, sed etiam verbo. An fortaße expectatis, vt Concilia ipsa, quæ hoc ipsum sanxere, proponā? In synodo [A] Aquisgranensi, in Concilio [B] Oxoniensi, et in [C] Tridentina demum synodo manifeste sancitum hoc decretumque reperitur. Ac præter muneris et officij vestri rationem, quæ hoc exigit, ne quæso credideritis vos, quibus hæ concionandi partes iniunctæ sunt, rem esse, vel studio, et facultate leuem, vel non tanta laude dignam, vt præmia amplißima non debeantur ei sacerdoti, qui in obscuro etiam, et deuio rure humillimos alloquendo mortales, verborum suorum vi penetrare poßit in dura illa et rudia pectora, vnde ratio propemodum, humanusque sensus abeße videtur. Namque sapientia præditos homines, nobilitateque animi, et disciplinarum notitia excultos alloqui, nequaquam fortaße grauius, maiusque negotium est, quam plebem

A Sub Greg. Pap. IV. cap. 5. par. 3.

B Tit. quòd Presbyt. Parochiales &c. Tom. 3. Concil par. 2.

C Sess. 5. cap. 2. de Refor.

bem alloqui minutam, ignarumque vulgus. Ideò, veteres magistri artis, oratoresque summi dixere, rem esse tam difficilem atque laboriosam, quàm vlla alia res esse possit, orationem adhibere tum loco, tum tempori, tum auditorum ingenijs aptam atque accommodatam, in quarum rerum descriptione, et mensura collocauere illud, quod ipsi decorum appellarunt. Vos quoque igitur, si facultatem habueritis eam, vt possitis aptè persuadere multitudini, digni eritis multa commendatione, multoque apud omnes honore, tanquam ingenio, et sapientia, et eloquentia cæteros antecellatis. Quòd si fortaße vultis edoceri à me quanā orationis via tenenda sit, quò aptius vtiliusque cum hominibus hisce agatur, dico, non esse disputandum acutè cum eis, neque dubitationes excitandas, proponendasque quæstiones, et subtilia argumenta nostræ fidei conquirenda, sed potius ordine quàm optimo, perspicuèque et leniter, et facillimè agendū, ita vt quæ sententia subsit orationi vestræ, intelligere omnes possint, qui ad audiendum conuenere. Neque tam inusitata esse verba oportet, tamve accurato delectu, artificiosèque disposita, et quæsita, vt auditoribus magnopere sudandum sit, quò sententiā inde colligere aliquam poßint. Esset sanè etiam peregrinus ille irridendus, qui ex longinqua aliqua regione profectus ad nos, staret inflatus opinione

sui,

sui, laudique et gloriæ sibi verteret quòd magna cum admiratione audiretur ille quidem, sed ex altera parte nullum animi sui sensum audientium animis admouere posset, ambigerentque omnes quanam sententia subesset orationi. Est itaque danda opera vnicuique vestrum, vt sermonem afferatis eum, quem rudes etiam, hebetesque et tardi intelligant, quive sermo captum eorum minimè excedat. Atque meminisse debemus, posse nos eloquentiæ assequi laudem etiam absque nimium exquisito illo verborum delectu, si tantummodo sermonem attulerimus patrium atque natiuum illum, quem intra domesticos vnusquisque parietes didicimus atque accepimus, dummodo tamen leuiter ille expolitus sit. Ita scilicet assueuere nonnulli ex celebri illa antiquitate, neque ideo minus laudis, minusve admirationis apud omnes assequebantur. Ac sicuti ea, quæ antea diximus, profanis exemplis comprobata sunt, ita sacrarum Litterarum testimonio hoc ipsum, quod nunc dico, manifestè comprobatur. Namque in Deuteronomio præceptum diuinum extat, vt in ipsa ara verba legis planè, et lucidè scriberentur. Et apud Esdram est, quòd Leuitæ, sumpto in manus libro, apud populum, qui aderat, legerunt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt cùm legeretur. *Cumque* Deuter. cap. 27. u. 8. 2. Esdræ cap. 8. u. 8.

-311 *paulò*

paulò postea Leuitæ locuti essent nonnulla ad diuinarum legum custodiam spectantia, benignè dimisere populum; omnesque lætissimi inde abibant,
Ibid. u. 12. quia intellexerant verba. *Quòd si constituta iam, sicuti arbitror, forma sermonum vestrorum, tractare, et inquirere velimus, quodnam etiam eligi argumentum oporteat, et quanam res potissimùm ad multitudinẽ agendæ sint, magnopere ego auctor sum populorum magistris, ne quidquam aliud in omni sermone propositum habeant, quàm vt verba Saluatoris, quotiescunque data opportuna occasio erit, exponant, præcipuaque cura sacrum Euangelij textum, et sententiam, quæ subest, populo suo aperiant atque ostendant. Quàm egregium illud, laudabileque esset, auditores, si quis vestrum audiretur explicans absque fuco, et detracta omni vanitate, dicta Saluatoris nostri, notansque locum, et tempus, quo tempore, et loco, quave occasione dicta ea Dei Filius protulerit? Id cum laude facere vt possitis, præter promptissimam semper diuini auxilij opem, quæ nullò modo deesset, etiam libri permulti ad manum erunt, qui magistrorum vobis esse loco poterunt, perfectissimaque eloquentiæ viã indicare. Tanta narrationum eiusmodi vis et efficacia permouendis mortalium animis tunc esset, vt nunquam tale quidquam attulerit Principum Romanorum, et Græcorum facundia instructa tot*

pro-

profanis artibus. Artes namque nostræ, et istæ simplicißimæ narrationes, ad quas vos hortor et voco, filij, humanam debellauere sapientiam omnem, Idolorumque cultores, et templa impia dißipauere, paßimque Tartareum regnum apud plerasque Mundi partes mirificè euerterunt. Ac phalanges sanè, aciesque innumeræ Spirituum impurorum stetere contra diuinas istas artes, totosque in id certamen conciuere secum populos, et sectas, et leges plenas superstitionum; incredibilique tamen altitudine animi christianæ Fidei defensores fallacias infandas, vimque Inferorùm superauere, victoriamque, et triumphum reportauere semper: Quod cùm fieret, robore semper incomparabili stabat in contraria acie sæuitia Tyrannorum, omnique eos infectatione persequebatur: ac tunc Cœli ciues in extrema terrarum, squalentesque regiones, irrogata exilij pœna, amandabantur; carcereque clausi Nuncij cœlestes iacebant, terrestres nempe, visibilesque Angeli, quos in ipsa victoria catenis oneratos lacerabat carnifex; ac lento cruciatu torquebantur membra illa tam chara Deo, fundebantque sanguinis riuos plagæ illæ decorandæ mille coronis. Verùm, vt ad vestrum concionandi munus redeamus, tenere debebitis illud, vt postquam facta Saluatoris proposita, et narrata erunt, gradus inde fiat ad reprehensionem earum

maximè rerum, in quibus culpam admitti aliquam ſcietis, apertaque fronte locus iſte tractandus, vrgenduſque erit. Neque enim tanta ſubtilitate, tantoque acumine res eget, vt laborandū tibi ſit inquirendo quonam id maximè modo præſtari oporteat. Cenſeoque ego, poſſe vnumquemque veſtrum hac ferè, vel etiam aptiore via in locum ingredi iſtum, ibique immorari his, ſimilibuſve verbis. Sententia Saluatoris hæc vim hanc habet, ò filij. Hæc verba Saluatoris oſtendunt, omni declinatione vitium eſſe fugiendum: hortamenta, et præcepta hæc ſunt magni facienda, voluntque id ita fieri ab eo, qui Regnum acquirere caleſte velit. Audite quid Dei Filius præceperit olim, Eccleſiaque ſancta monita ſaluberrima admittite in animum, cuius Eccleſiæ auctoritate damnati grauiſsimis pœnis eſtis, niſi hoc feceritis. Eruntne fortaſſe in hoc ipſo conuentu ſacerdotes multi, qui ex ea diſciplina, quam in Seminarijs, lociſve alijs acceperunt, in quibus aſsiduè tractantur, edocenturque iſta, non poſsint paucas huiuſmodi voces repetere, vel etiam ſimiles inuenire, et conſumere alias ad ſui gregis ſalutem? Quod cum à vobis fiet, meminiſſe debebitis, id fieri poſſe vtilius demonſtrandis rationibus, quàm teſtimonijs auctoritatibuſque coaceruandis. Memini namque ego, ſummum dicendi magiſtrum, et perſuadendi arte excellentem ita præcepiſſe.

Aiebat

Aiebat is, præter rationes, et argumenta naturalia, posse similitudines etiam, et exempla adhiberi, ita vt vis, atque significatio eorum simul ostendatur; tanquam apud plebem indoctam efficacissima ad id demonstrandum, quod ab ea imperita multitudine exigimus ipsi et postulamus. Argumenta verò, rationesque poterunt esse, tum ex natura petita, tum etiam supra naturam: ac si ex humanorum sensuum consuetudine petita erunt, firmissima habebuntur ea, quæ auditoribus apertissimè proponant damna, vtilitatesque ipsorum. Nam dum in humano hoc cœno hæremus, nimiũ ***fortasse facilis noster est animus ad sequenda ea, quæ sensibus placent, in eaque fertur flagrantissimo appetitu, rursusque ab omni molestia et incommodo refugit, atque abhorret. Ideo datur hæc venia vobis, vt ad proteruas hominum mentes flectẽdas, atque euincendas huiusmodi artificijs vti possitis, nempe repræsentando humanæ vitæ miserias, et labores, casusque tremendos, quos vindicis Dei iustitia immittere paret, breuique immissura sit. Ac scitote, inter omne genus obiurgationum, eas semper fore vtilissimas, quæ magis aptæ erunt audientium rebus, apud quos aliena, et communia minoris fiunt, quàm ea, quæ rem, statumque, et conditionem ipsorum attingunt. Ita etiam propria eorum vitia reprehendi oportet, tunc scilicet,***

cùm ita peruulgata sunt, vt multis innotuerint. Ac si reprehendenda erit auaritia, siue superbia, non communem ipsius vitij naturam, atque deformitatem, sed partem maximè eam vrgeri, arguique oportebit, quæ maximum auditoribus detrimentum importare credita erit. Neque ideo velim credatis, sacerdotes, permissam vobis esse hanc obiurgandi licentiam, ita vt intemperanter, atque immoderatè asperandi, et exulcerandi sint animi absque fructu vllo; nam cautè potiùs, et prudenter vniuscuiusque vita reprehendenda est, sicuti sapientiores loquuntur. Puniendi grauissimè vos essetis, si verba vlla contumeliosa, vel damnosa nomini, famæque alienæ vobis exciderent. Ac pro certo habetote, non verborum asperitate, minacibusque conuicijs, et odioso orationis genere quidquam vnquam profici posse ad persuadendum. Præterea, improuido isto sermone periculum vobis ipsi contraheretis, orireturque suspicio illa, partem earum rerum, in quibus reprehensio versaretur, vobis innotuisse inter sacra confessionis arcana, quæ vllo modo diuulgasse flagitium extremũ fuerit, suntque pœnæ constituta. Est igitur vobis adhibenda cura, vt sermonem afferatis eum, quo non vestri gregis inimicos esse vos appareat, sed miti mansuetoque ingenio de toto illo grege solicitos, tanquam fratres, aut filij vobis illi essent,

apud

apud quos ſalutis ipſorum cauſa ſic loqui, et agere res cogat. Manſuetudinem autem iſtam animi, paternumque ſenſum, et ab omni ſordida cura alienum animum, conſtantemque, et minimè deceptam mentem vllo modo grex ipſe, populuſque agnoſceret, ſi ex diuerſo veſtra vita forma à ſermone ipſo diſcreparet. Atque vt credatis, verum hoc eſſe, quod nunc à me dicitur, conſiderate quemadmodum profani etiã oratores ita definierint, par momentum ad perſuadendum habere verba, moreſque dicentis, ſæpeque contumaces ad dicta accipienda eſſe animos, ideo quia diſsideant mores. Corrupta enim, et diſſoluta vita auctoritatem minuit, atque labefactat. Si quid in vos prudentia erit, ſacerdotes, facilè poteritis memoria repetere ſolennem eum Euangeliſtæ Ioannis locum, vbi Ioan. cap. 10. u. 3. & 4. *gregis illius cuſtos, primò quidem oues ſuas nominatim appellat, deinde verò eductis ex caula ouibus, præbet eis ſe ſe ducem, et illæ protinus ſequuntur. Videtis igitur quemadmodum præire oporteat, vt oſtendant veſtigia veſtra rectam tutamque viam ſalutis, et pari gradu verba, paſſuſque procedant, neque ſeparentur vnquam. Sic Iſaias fecit, cùm* Iſaiæ cap. 20. u. 2. *diuino iuſſu ad populum concionaturus eſſet. Præceptum namque ei fuerat hiſce verbis: iret prius, poſitaque rudi et ſqualida veſte, qua tegeretur, in extrema miſerrimaque nuditate offerret ſe ſe*

po-

populo, diceretque nationibus vicinis magna supplicia diuinitus imminere. Talia hæc absque dubio non minus animum, quàm oculos permouere circumstantium poterunt. Tunc enim accipiuntur dicta cum fide, vbi res ipsa cum verborum sono conueniunt; estque præteritæ vitæ vestis abijcienda ei, qui minus fortasse laudabiliter antea vixit, et sermoni iam suo quærit auctoritatem. Atque si vos ita comparaueritis ad populi vestri salutem, sperare poteritis tantos reprehensionum vestrarum fructus, quantos nulla res alia afferre vnquam possit. Sacerdotes namque estis, atque pastores animarum, quibus Beatus Chysostomus, cùm de oratoribus sui temporis ageret, ita præscripsit.

Pastoribus animarum non secus cum populo suo agendum est, ac cum tenerrima sua prole patres ipsi agunt. Nam si anxiè nimiùm paruuli filij aliquid petunt, plorantve, et queruntur, vel ex diuerso blandiuntur nimis, amoremque testantur, non magnopere soliciti esse debent quidnam ipsi faciant, aut dicant. Ne illud quidem Episcopo magnopere curandum est, quantopere à suis laudetur, ita vt, vel ex laude lætitiam, vel ex calumnia aliqua mœrorem accipiat. Nam sicuti socia maris vnda est: ita sociæ perturbationes sunt ei, qui laudem immoderatè appetat. Ac si alta eloquentia præditus aliquis reperietur, ea non naturæ munus

erit,

erit, sed artis opus; quæ ars ne dilabatur, solicita cura et studio prouideri oportet. Quòd si interdū deflexerit à sublimi orationis suæ filo, grauius offendet, quàm si quilibet alius in dicendo peccasset; acciditque, vt vulgus ignarum eos, qui minus eruditi sunt, anteponat grauissimis sacrarum Litterarum magistris. Mediocriterque docti si fortè lapsi sunt, excusantur in his ipsis rebus, erroribusque, quos si eximia scientia præditus aliquis admisisset, absque defensione vlla communis fama vituperaret. Quæ cùm ita sint, intelligitisne, sacerdotes, quanta vos molestia, et labore liberi sitis, cùm interea oratores isti miserrimè soliciti sint in suo illo munere, atque angantur? At vobis satis erit, si ad populum ita egeritis, vt sermo vester, et salubris sit, et intelligatur, in quo nulla ferè difficultas esse potest, cùm apud eos agatis, qui et noti vobis, et subiecti sunt. Sanè etiam medicus opportuna pharmaca adhibere potest tunc, cùm et morbi genus, et temperamentum ægrotantis ille probè cognoscit. Sacerdotique promptum erit ad Euangelici Pastoris instar, ouiculas nominatim euocare suas; quod præter ipsum gregis custodem, facere nullus alius posset. Ac præterea, nulla necessitas ei iniuncta est, vt varia semper argumenta tractet, sed potiùs eadem sæpe repetere debebit, neque recedere vsquam ab vsitato re-

pre-

prehensionum genere; quæ si prudenter adhibita fuerint, nequaquam eum proposita vtilitatis expectatio decepturá est, etiamsi millies eadem repeterentur. Repetitione quin etiam ista fiet illud, quod tingendu colore aliquo vestibus fieri solet, vt nimirum, quò sæpius ea tincta, atque demersa fuerint, eò pulchriorem, viuidioremque colorem contrahant. Ita etiam ouiculæ Euangelicæ, de quibus antea dictum est, vocem audiere pastoris, quia

Ioan cap. 10 u. 4. *sono sæpius eidem assueuerant.* Oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. *Neque quia sacra diuinaque Litteræ de qualibet re dicēdi argumentum suppeditare possunt, ideo fugiendum erit à consuetudine propositi argumenti, tanquam lege aliqua cogeremur variare argumentum. Saluatoris namque etiam exemplo inuitamur, qui habitā à Sancto Ioanne concionem orditur etiam ijsdem*

Matth cap. 3. u. 2. *verbis. Nam cùm dixisset Ioannes;* Pœnitentiā agite: appropinquauit enim regnum Cęlorum,

Matth. cap. 4. u. 17. *de Christo ita legimus;* Exinde cæpit Iesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum Cælorum. *Quòd si quis aliter sentit, abnuitque repetere eadem, hunc ego et Dæmonis arte decipi arbitror, et libertatē sibi adimere, in qua positus est, pœnæque in altera vita hunc sequentur, veluti diuinæ legis contemptorē, et tardum, immemoremque consilij, quod Propheta*

Isaias

Isaias dedit. Monet enim ille, non esse tacendum ijs, qui ad custodiam vrbium appositi, dies, noctesque excubare debent. Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra. *Vos verò, si ad silentium, somnumque obstinati estis, ò sacerdotes, cur tandem ceu custodes atque excubitores prope mœnia ipsa statis? Cur potius alto demersi somno, non iacetis intra parietes vestros, relinquitisque curam hanc alijs, qui detractatum à vobis munus sedulò, fideliterque obibunt? Cur sub fidei vestra custodia proditur ciuitas, traditurque diripienda hosti? Sed dicetis fortaße muti oris homines, leuem hanc esse culpam, quòd compressa sic septa dentium teneatis. Nimium id sanè confidenter, nimiumque audacter diceretis, nisi secus experientia rerum magistra doceret, ac nisi Propheta Isaias manifestè negligentiam, vecordiamque vobis exprobraret*. Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. *Explicate nunc melius, apertiusque reprehensionis huiusce vim atque sententiam. Bestiæ istæ procul-*

Isaiæ cap. 62. u. 6. & 7.

Isaiæ cap. 56. u. 9. & 10.

dubio sunt deteriores canibus; quod animal amicissimum hominis est, sequiturque gregem, et ouile defendit, acerrimèque feras persequitur. At isti non persequuntur feras, sed blandiuntur, assuescuntque familiarißimè eis, vltroque ludunt vnà. Sed quid tandem istud est, quòd feræ bestiæ intra vrbium mœnia ex vallium, nemorumque receßu euocantur, cùm potius omni conatu, aut artificiosa arte expellendæ hinc fuißent, si casu fortè aliquo intrassent vrbem, impetumque ei dedissent. Malè enim ciuilis consuetudo cum feris moribus, et amœna loca cum desertis, sterilibusque locis iunguntur. Itaque sciendum est, vim huic loco subesse quandam occultam atque latentem, de qua nolo vos esse celatos: atque ita loquar. Feræ illæ tam infestæ ouiculis, tamque damnosæ et formidatæ conijciuntur postea in fugam à pastoribus ob capitale odium, quo eas oderunt. Verùm, vbi pastores ipsi gregis custodiam deserunt, videntur in gratiam rediisse cum lupis, fœdusque quoddam iniisse, tanquam ita dicatur. Adeste nunc feræ voratrices; namque non solùm ex armenti carne, sed etiam ex pastoris ipsius corpore pabulum vobis paratur. Apertiusque adhuc agere volo, vt Prophetica verba, quid sibi velint, intelligere poßitis. Non resisti potest violentiæ, furorique siluestrium bestiarum, cùm impetu suo gregem adoriuntur; nullaque vis

ad-

aduersus eas, præter vim, clamoremque pastoris reperitur? Non aduersus famelicos earũ impetus poterunt pastores arripere venabula, et tela, quibus vim repellant, pugnentque ex æquo? Poterunt sanè, resistuntque omnino, et pugnant. Nihilominus tamen clamores isti aduersus vim inimicã efficaces adeo, et potentes, armaque deinde ministrantes apertè ostendunt, in agresti hac, et fera pugna vociferationem esse qualibet alia re efficaciorem? Ne illud quidem eiusdem Isaiæ consilium, atque præceptum excidisse vobis arbitror, ita vt hoc loco inculcari vobis debeat; Clama, ne cesses, quasi tuba exaltà vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum; *Atque adhuc pastoralem hanc taciturnitatem grauissimam esse culpam negare voletis? Afferetis fortasse contrarias auctoritates, tanquam sacra volumina de hac re non ita seuerè vobiscum agant? Audite nunc Ezechielis Prophetæ minas.* Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, &

Isaiæ cap. 58. n. 1.

Ezech. cap. 3. n. 17. & seq.

 ille

ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius, quas fecit: sanguinem verò eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris iusto vt non peccet iustus, & ille non peccauerit: viuẽs viuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti. *Et quoniam diuinæ Litteræ scatent vndique saluberrimis præceptis, eædem etiam reprehensiones, et obiurgationes, vaticiniaque durissima ab eodem Propheta inculcantur Capite trigesimo tertio; quod notasse volui, ne fortasse vestrum aliquis excusare obliuionem possit. Sententia igitur loci huiusmodi est. Si perseueraueris, ò pastor, obtinere silentium, eris exitij causa subiectis tuis.* Sanguinem eius de manu tua requiram, *ait Deus ipse: tanquam homines illi, qui populos suscepere gubernandos, nihil agere laudabiliter possint, nisi adhibita verborum vi. Egentium subleuare egestatem, non fortasse sæpe prodest ad corporum, animorumque salutem? Operaque cætera misericordiæ, psalmique, et preces, et sacrificia ipsa, innocentisque vitæ exempla multis edita*

mo-

modis, nonne salutem afferre tuo populo poterunt? Poterunt sane: sed ex altera parte vos ipsi videtis, vnicam hoc loco mentionem esse de sermonum vestrorum vtilitate, idque vnum inculcari. Itaque scitote, sacerdotes, si cessatum vobis erit ab hoc officio reprehensionum, iram vobis imminere diuinam, vltimumque instare damnum, vt in æternam Tartari sedem, cæcosque carceres eadem vos ira conijciat. Considerate vobiscum ipsi diligenter Ezechielis locum, atque vera hæc esse, quæ dico, reperietis. Non enim in id tantùm aßumpti, electique estis, vt acerrimè peruestigaretis scelera subiectorum, neque criminibus, maleficijsque cognoscendis potestas, atque magistratus est datus. Et quamuis corrigendis hominum sceleribus destinati sitis, non tamen id fieri per supplicia tantùm oportet, sed persuadendo, monendisque animis, atque mentibus ita imperitando. Neque nimiùm credibile est, animi nostri motus, obstrepentesque perturbationes sola legum auctoritate comprimi, ac sedari, iudicumque pœnis, et minis, ac terrore contineri eas. Si charitatis vlla scintilla viuit in pectore vestro, sacerdotes, quomodo tandem mutum istud obtinere silentium poteritis, cùm fidei vestræ commendatas à Mundi Saluatore animas sciatis, cui sunt longè chariores, quàm credere poßitis, tam charæ inquam, vt earum causa tolli

in

in crucem ipse voluerit? Sanè diuina illa præcordia adeo accensa sunt purißimo hoc igne, vt referre lubeat id, quod summus doctor Dionysius Areopagita scriptum reliquit. Carpus, ait ille, fuit venerãdæ memoriæ vir vnus, qui nostra vixit ætate, Christianamque religionem fidelissimè secutus est. Is vel consuetudine sua, vel naturali temperamento in omni sua re, vel actione pronus ad seueritatem erat. Itaque, quoties precaretur à Deo emendationem humani generis, et populi Chistiani, non poterat contineri, quin iram quoque diuinam aduersus hominum vitia imploraret, ita vt illico corriperentur improbi, fermèque Carpus indignatione illa in furorem ageretur. Cùm autem talia imprecando quotidie magis accenderetur, accidit, vt die quodam, dum in suo cubiculo solus petit, optatque flagrantißimè eadem, videret supra suum ipsius caput, apertum tranquilla serenitate Cælum, Angelosque festo cum apparatu deducentes Saluatorem, qui incredibili splendore circumfusus, cinctusque corona illa Angelorum, obtulit sese Carpo ipsi spectandum. Tunc Carpus flexo deorsum capite, turbam hominum adspicere visus est in profundissimæ fossæ labro stantem, et iamiamque prolapsuram illuc, simulque contra obnitentem, ne prolaberetur, cum simul etiam Spiritus impuri vi summa contenderent, vt præcipita-

re-

retur infelix turba. Quæ omnia Carpus intuēdo, et contemplando, vidit, cognouitque digressum ab excelsa sua sede Saluatorem mouisse gradum, vt piam suam, misericordemque manum tenderet infelicibus illis, ne traherentur in profundum: ad Carpumque deinde conuersus, ne credideris Carpe, inquit, pœnis tantùm emendari peccantium animas, sed etiam prehendendæ clementer sunt, in viamque deducendæ. Ampliùsque hoc scito, saluandorum istorum causa, quos ante me stratos vides, promptam iterum fore descensionem in terras, si non aliter saluari possent. En pastores, en duces, rectoresque animarum! Dei Filius ad populi vestri salutem verba, precesque fundit, mouetur ab sede sua, tenditque manum, et vos interea muti, et surdi silentium, otiumque obtinebitis? Custodes nimium taciturnitatis amici, et vestri ordinis propudia, quid ita tacetis, interea dū Christus ipse vestri loco loquitur animarum causa, quarum salus, et cura penes vos proiecta est, et tradita obliuioni? Ne quæso, inutilem vestræ vocis esse sonum putate: nam interea silentio hoc vestro pereunt multi, qui vestra voce salui esse poterant. Has sempiternis eripere ignibus in manu vestra erat, et cessatis? Inter prælia, quæ apud homines pugnantur, scimus quantum verba possint ad militares animos, vt vim impetumque

su-

sumant; sæpeque ipsa ducis oratio victoriam dedit, et erexit aciẽ. Ac tu, cùm ad Tartari fauces obsistere monstris, furiasque debellare queas, cunctaris? Quodnam mortalium genus id vos fuisse censetis, qui in illa Carpi visione stantes ad fossæ oram hauriendi Orco erant? Non alij fuere, quàm greges vniuscuiusque vestrum, qui ita silere vultis, neque expectanti opem aliquam gregi, subsidium ferre vllum vultis. Atque in turba illa infelici populares, et amicos, et consanguineos fortasse vestros notare possetis: et interea tam dura vobis præcordia sunt, obstinataque ad sæuitiam mentes, vt omni subtracta consueta beneuolentiæ significatione, ceu ignotos, et alienos, et nulla vobiscum necessitudine coniunctos in extremo illo periculo contemnatis. Vultis adhuc vlterius progredi sermonem hunc, indignationemque nostram? Turba infelix, quæ profundi putei hiatu absorbenda stabat in crepidine ipsa putei, non amicorum, consanguineorumque vestrorum erat, sed vos ipsi fueratis, quos visio illa in tanto discrimine constitutos notat, ac designat. Vos illi estis, quos in singula momenta Tartari sepulchrum expectat: neque video quid vobis aliud desit ad extremam perniciem, nisi vt diuina manus, auxiliumque cæleste paulisper differatur, statimque deiecti in profundum absque spe, et auxilio vllo sempiternam mor-

tem

tem agatis. O bonitatem Dei inenarrabilem et infinitam! O summam illam absque exemplo vllo bonitatem! Illa ipsa Diuina Maiestas, quemadmodum exposui, se se in gloria sua triumpho ostendit, verbisque, et precibus, et obiurgatione sua, et persona motu ostendere voluit quid pastoribus animarum faciendum sit, vt consulant animarum saluti, quas ipsi tuendas susceperunt.

SECVNDA DIE
Synodus eiuſdem.

DE EXERCITATIONE
in ſtudijs.

CONCIO XXXVIII.

NESCIO ego, *maiorene conuicio, et pœna digni ſint illi animarum cuſtodes, qui dicenda ſibi tacent, an qui facienda omittũt, munerisque ſui partes minimè explent, ſacri, et venerandi ſacerdotes. Satis oratione ſuperiore intellexiſtis, adhibendas eſſe in officio hoc paſtorali voces, quæ moneant, hortentur, et perſuadeant, et cum aculeo etiam inſiſtant, vbi res ita poſtulet; ſimulque vidiſtis, nimis turpe eſſe ſilentium, quod ipſi ſibi indixere, dum nullum ex ipſorum ore verbum auditur. Nunc de alio hominum genere agendum eſt, qui ſunt in noſtro hoc ordine ſacerdotali, et grauiſſimè errant, prætermittendo ea, quæ ab ipſis fieri oportebat. Cùm enim in id præcipuè munus deſtinati, electique ſint, vt ſacros choros in ſacerdotum aliorum conuentu frequentent, credunt minimè tantam ab ſe doctrinam requiri, quanta in*

ſacris alijs ordinibus eſſe debeat; ideoque nihil vſquam temporis inſumunt in litterarum ſtudio, parùm aptè inſtructi reperiuntur, et procedente dein tempore, labuntur illuc, vt litteram ferè nullam norint. De quibus hominibus certum hoc mihi eſt, quotieſcunque ipſi nihil temporis in ſtudia conferùnt, negliguntque bonas artes, et velut odioſa quædam, abiecere libros, neceſſariò ſecuturum eſſe illud, vt parùm honeſti ſacerdotes fiant, pronique ſæpe ad vitia, et malitia cumulati, promptique demum ad ſcelera, culpaſque omnes. Nimiùm fortaſſe ſeuerè et durè hoc vobis dici videtur, ſacerdotes, creditiſque poſſe nos mitius, et remiſsiùs aliquanto agere vobiſcum? Sanè mihi quoque perinde ac vobis durum videtur, non quod verba hæc à me proferantur, ſed quòd res ipſa veriſſima ſit: neque hanc veſtram admirationem, ſi tamen occuparet animos veſtros, reprehenderem, reprehendendique iuſta mihi cauſa eſſet. Ac niſi manifeſtè vobis probauero ita eſſe, non recuſo, quin et reprehendar hodie ipſe à vobis, et orationi meæ fides vniuerſa abrogetur. At ſi probauero vobis id ipſum, vt argumenta mea rem ita eſſe conuincant, quæ tandem vobis erit pœna irroganda, niſi pœnitentia, et dolore conſternati, poſtea refugietis ab vitio, labeque iſta, ne diuina vos indignatio corripiat atque inuadat? Primùm omnium, ſi

 com-

communis rerum humanarum conditio ſpectata nobis, conſiderataque erit, ita reperiemus, otium atque deſidiam longo tempore continuatam nullo modo poſſe ſuſtineri, ac veluti dulce principio poculum, adeo poſtea amarum, ingratumque fieri, vt non ſine faſtidio, et ſtomacho reſpuatur: eiuſque rei argumentum etiam hoc afferri poteſt. Ratione præditos mortales conditor omnium rerum Deus initio creatarum rerum ad excelſa quædam inſtituit, atque deſtinauit, aſsignatis hominum generi operibus, quæ mentem rationemque occupare deberent. Hinc communis ille humani animi ardor agendi, et perficiendi aliquid, quod vt aſſequantur homines, flagrantiſsimo ſtudio, modò hoc, modò illud appetunt, atque conquirunt. Ita dum otio torpent, excitantur laudabili cupiditate, honeſtoque appetitu excutiendi languoris, et parturiendi aliquid dignum altitudine mentis; atque id vbi non contingat, amarus animi torpor, tædiumque ſuccedit. Quinimmo res etiam omnes aliæ creatæ propoſitum ſibi nonnihil habent, quò peruenire volunt, lapideſque ipſos, et viliora cætera, tanquam prædita ſenſu eſſent, vtilitatis ſuæ cauſa ferri videmus auidiſsimè ad ſuum finem. Ideo, grauiſsima quæque deorſum vergunt, attolluntúrque leuia, et ſuos res vnaquæque motus habet. Pecudum quoque ipſarum, ſiue cicures et domeſticæ,

ſiue

siue agrestes et feræ sint, stimulante natura, et necessitate quadam, appetitus huiusmodi est, vt aliquid assequi velint. Atque sic appetitu stimulantur eo, vt si quis vel leoni robur, atque generositatem, vel tigri sæuitiam adimere tentaret, ipsæ haud dubiè feræ, si vocem emittere possent, detestaturæ sint iniuriam, qua naturæ suæ priuilegia et dotes ita corrumperentur. Dicerent vtique hoc, relinquendam esse liberam vnicuique animali potestatem agendi, prout à natura institutum, et informatum vnumquodque animal sit. At homo ipse longè digniore conditione, et statu, longèque cæteris rebus inter humana omnia antecellens, abhorret planè otium, atque adspernatur. Atque ideo sicut rapidos ventorum volatus, et torrentia flumina, impetumque eorum vi nulla tardaueris: ita inijcere humanis ingenijs frænos minimè est humanæ opis. Quamobrem, ipsi in nobis experimur, non posse mentem inhiberi nostrã, quominus arbitratu suo libera et soluta diuagetur, ac sæpe alia subinde, et alia reuoluimus cogitatione et mente, talemque euagationem minimè sentimus; animusque ipse variarum imaginum nube ita aliquando offusus tenetur, vt imagines inhibere eas nequeat, ipsæque etiam impatientes moræ, fugiant subinde atque dilabantur. Voluntatis inde nostræ consuetudinem intuentes, reperiemus, expositam

eam

eam esse mille cupiditatibus, vnoque pene momento variè moueri, neque conquiescere vnquam, cùm sit ipsa ceu vorago quadam in immenso perturbationum nostrarum æquore. Corporis quoque sensus ita licenter et solutè agunt, vt nullis contineri vinculis videantur. Nam oculi crebro, et temerario motu semper vlteriora inquirentes, liberum sibi campum poscunt, neque terminis vllis circumscribi et contineri volunt. Iam aures sine modo capaces, et auidæ quemlibet ortum temerè sonum captant, stimulanteque curiositate clauduntur nunquam, et varia subinde pabula petunt ad explendam famem. At nos ita clausos, cæcatosque mentis oculos habebimus, vt cùm verissima sint ista, constituamus tamen vitæ iucunditatem in otio ac torpore, quo dies, noctesque continuentur? Censebimus igitur, mentem ipsam, et voluntatem, et sensus omnes posse voluptate aliqua perfundi, si mortui tanquā, et sepulti ab omni opere, et actione segregentur? Sanè, si qui ita censent, præferunt tardum, obtusumque ingenium, mentemque sopitam, quæ consuetos naturalium rerum cursus adhuc notare non potuerit. Constat igitur hinc, manifestumque est, in otiosa mente excitari atque accendi multos effrenatos appetitus, necessarioque rerum aliquarum amorem adhærescere animo, qui torpeat sic atque languescat. Quid

nunc

nunc igitur de sacerdotibus dicemus eis, qui post breues psalmodiæ horas, terunt alibi frustra tempus, neque librum in manus vllum sumunt, si minùs, vt noua aliqua addiscant, ac certè ne ea, quæ iam didicere, obliuiscantur, cùm interea sentiant omnem eorum recordationẽ extingui atque obliterari? Sed quid nunc agitant animo sacerdotes isti, capitales inimici studiorum, disciplinarumque omnium, qui iactare possunt extremam fere suam ignorantiam, quibus cura est, vt perpetua demersi quiete vitam agant? Volunt vtique tueri causam suam, dicentque fortasse, quod temporis ab diuinorum officiorum cœtu supersit, impendi alienis vtilitatibus, commodisque publicis, aut priuatis, eiusœmodique charitatis, et misericordiæ opera cordi esse ecclesiasticis alijs hominibus, quorum exemplo, et imitatione ipsi ducũtur. Rectè sanè hactenus defensa causa est, rectèque totum hoc dicitur, neque aliter fieri oportebat. Sed ex altera parte ostendatis oportet, sacerdotes istos, qui perpetuò charitatis, et misericordiæ operibus exercentur, et alienæ vtilitatis causa semper occupatas animi sui partes habent, non simul agere curam etiam illam, vt excolant optimis disciplinis animum, quotidièque magis in suo genere excellentes, et perfecti euadant. Hoc si probare poteritis, tunc sermo vester, atque defensio nullo modo refelli poterit, eritque

optimè

optimè instituta: sin autem, hærebitis hoc loco veritate ipsa conuicti. At vos multò magis condemnat, atque euertit exemplum illud ipsum, quod initio afferebatis, culpaque vestra inde manifestior fit. Nam illis ipsis forma vestræ vitæ displicet, moresque improbantur; et illi, inquam, ipsi audiuntur, incusantes ea, quæ agitis. Sunt sanè ad diuina obsequia simul, et ad vtilitates, salutemque alienam intenti; sed non interim abiecere curam, studiumque excolendæ mentis, atque vlteriùs in rerum præclarissimarum cognitione progrediendi. Quomodo tandem poteritis vos ostẽdere, quòd perditi, et corrupti sacerdotes versentur in litterarum studijs, sicut ego vobis ostendi, bene moratos, optimosque sacerdotes nunquã intermittere studia litterarum, horasque opportunas habere, quas optimis disciplinis insumant? Verùm, hos ipsos ministros altaris, qui nunc à me reprehenduntur ceu viles et perditi, dicet aliquis non consumere tempus inutiliter, sæpeque occupari tractandis monumentis, quibus Ecclesiæ iura, redditusque, et vltima mortuorum voluntates, relictaque ad expianda peccata stipes continentur. Vtinam res ita se habeat, sacerdotes, fratresque charissimi: vtinam actiones vestræ coniecturam potius aliam non præbeant; quandoquidem vnusquisque vestrũ priuatim ad minuta lucra adeo intentus est, atque

con-

coniuncti omnes custodiam communium Ecclesiæ utilitatum adeo negligitis. Solicitudines istæ vestræ et ieiuni animi curæ viles utique, similes sunt laboribus, et industriæ piscantium, qui cupiditate quæstus illecti, fracta retia tendunt mutis aquarum gregibus, nec tamen horas insumere vllas volunt retibus aliquando sarciendis, sicut apud Euangelistam in littore sarciuntur. Quodque priuati emolumenti, non publicæ vtilitatis studio aliquo ducantur; optimè nouerunt regionum visitatores, alijve, quibus cura illa iniuncta est, vt quotidianos in psallendo errores notent. Sciunt enim, videntque præfecti isti quàm cupidè, quàm libenter ab omni publici muneris perfunctione refugiatur ad eorum instar, quos in sacro Euangelio legimus excusantes sese ob coemptam sibi villam, paratosve boues, et alia priuatarum rerum negotia, quibus tunc impliciti tenerentur. Anniuersaria Sancti Pastoris, et Archiepiscopi Galdini dies hodie nobis agitur, qui non ex vltima India, montibusve Caspijs ad huius Ecclesiæ gubernacula suscipienda venerat olim, sed ex nostro hoc Mediolanensi Clero fuerat, Canonicusque idem, et Archidiaconus Templi huius. An creditis, nullas eum disciplinas attigisse, fuisseque ignorantem? Erat misericordiæ operibus intentus, summaque vigilantia statum Ecclesiæ constituebat, scribebatque sanctissi-

Matth. cap. 4. n. 21.

Lucæ cap. 14. n. 19.

ſimas leges, et veterum in eo Patrum instituta ſequebatur. Tractate quantum lubet Eccleſiæ iura, et legata, ſacerdotes, curamque eò conferte quantam vultis. Nunquam iſta erunt ſtudia, quæ vobis tribuendas ſtudijs alijs horas eripiant; ſed cura vos aliæ, negotiaque alia omnibus horis abducunt; quæ negotia, et curas neceſſe eſt, aut veſtrarum rerum eſſe tantùm, aut etiam alienarum. Si curatis aliena, hæc ipſa vel coniunctorum hominum, vel nihil ad vos pertinentium erunt. Ita etiam vel laici erunt, vel eccleſiaſtici homines, quorum negotijs intenti eſtis: homines verò, qui vobis maximè coniuncti erunt, haud dubiè ſanguis, et caro veſtra. Videtiſne igitur, ſacerdotes, nequaquam ineſſe canonicorum noſtrorum animis tantum charitatis, quantum antea credebatis, neque eos in peruolutandis monumentis verſari ad inueſtiganda veteris memoriæ negotia, ſed curis occupari alijs, et nolle eſſe otioſos, quia ſciunt, otium rem eſſe peſſimam, atque ideò immeritò reprehendi. Neque verò crediderітis, eos inimicos eſſe ſibi, conſanguineiſque ſuis, et eorum commoda auerſari. Sacerdotes iſti aliqui ſunt ex hominum numero, poſſuntque commodis et vtilitatibus ſuis inſeruire. Præcipuè autem, qui librum nunquam vnum inſpiciunt, dediti ſunt auaritiæ, quæ tanquã flamma vel abſumit quidquid admotum eſt, vel id ipſum

in naturam, conditionemque suam conuertit. Itaque videbitis, auaros homines aut torpere desidia, aut modis omnibus conquirere aurum. Cuius cupiditatis damna magnopere timenda sunt, cùm eius vitij conditio naturam sui metalli imitetur. Quippe etiam aurum omnes iniurias, vimque ferri, atque iteratos sæpius ictus, et tyrannidem, violentiamque ignis, et temporis ipsius edacitatem obstinatè perfert, contumaci semper, et durante natura, qualis initio fuit; potiusque senescendo confirmatur, et expolitur, nunquam verò corroditur, atque contabescit. Talis natura auaritiæ est, cùm interim cætera vitia, perturbationesque animi, et plerisque malis succumbant, et remedijs cedant, atque in senecta saltem dedant se, siue expugnetur. Atque ita est, sacerdotes, cupiditasque auri, licèt modis vexata omnibus, atque contusa, non ideo tamen obtusior, leuiorque fit, neque ingruentes annos auaritia timet; eaque vos in carceres etiam, et in tormenta sequetur, atque aduersùs flagella iudicis contumax stabit. Ideo, et timendum magnopere est vitium istud, et pari detestatione fugiendum; licèt nec diuina, nec humana leges nullam per magistratus, et iudicia pœnam irrogauerint eis, qui iusta erga proximos beneficentiæ modũ non tenent. Nam statim, vbi pessimus auaritiæ odor sentitur, fugiunt omnes, abhorrentque, tanquã

à pestifera aliqua tabe, idque satis supplicij visum est in auaros. Sic etiam ex diuerso, nulla sunt præmia constituta eis, qui comiter, atque liberaliter agunt; quia satis præmij est idipsum, si quis et colatur ab omnibus, et ametur, et etiam sola comitate tutus sit. At querulos per tribunalia, litigatoresque sacerdotes quis ferre possit, dum volitant toto foro expostulantes nunc de caussidicorum, et scribarum iniurijs, nunc de iniquitate sententiæ latæ per iudicem, nunc de gratia, vel potentia aduersarij, quæ ius omne, et æquum expugnauit. O canonicos auaros, hæc sunt vestra studia, cupiditatesque profanæ. Vt autem de illo etiam altero amore dicamus, qui gignitur in vobis erga alienos, siue laici sint, siue ecclesiastici, memini audisse me veneranda auctoritate senem, qui ita diceret, familiares quosdam amicos appellari posse fures bonarum horarum, valdeque fugiendum esse ab istis, qui cauillando, et nugando detinent nos; interimque tempus irreparabile abit. Quòd si perditi ijdem et improbi erunt, non dici attinet quàm grauia sint, atque ineuitabilia mala, quæ secum ferunt, ita vt dicere liceat, magis infestos, atque damnosos esse vobis eiusmodi homines, quàm ipsas Dæmonum insidias, Spiritusque impuros. Non enim Dæmones vobis ante oculos ponunt turpia facta, neque implent aures verbo-

rum

rum sono, neque vlla exempli peste animum, sensusque corporis inficiunt: cum ex diuerso isti tum sensus exteriores, tum intimas animi partes corripiant, itavt effugere fermè non possis, quoties amicus te aliquis iucundè, vel in maledicos sermones trahit, vel ad voluptates adducit, atque violatis amicitiæ legibus, vim tibi inimicam affert. En sacerdotes, sacerdotes. Nonne videtis sacrarum etiam Litterarum auctoritate mille locis segregari vos ab laico populo, qui si vobiscum comparetur, profanus est? En verba, quibus idipsum continetur. Nolo, sacerdotes meos cum reliqua multitudine numerari. Volo domicilia eorum propinqua esse meo templo: regalibusque epulis isti alentur, et fructus capient vberiores, ampliores que, quàm reliqua laica multitudo. Atqui vis tamen familiariter assuescere istis, neque conquiescere potes, nisi fraternè viuas vnà cum eis; assiduèque immisceris eorum consuetudini, et confinia tuæ domus excedis? Neque sentis interea colligi omnia tua dicta, factaque omnia, quæ deinde et ludibrio habent, et eis offenduntur? Depingite vobis ante oculos canonicum sacerdotem exeuntem ex choro; statimque sumpto pallio, prodeuntem in forum, quod templo praiacet, atque ibi inter artifices suos, aliosue gregales exhilarari, et ridere aliquantum. Vadit postea ille lento gradu in vicinam aliquam ta-

Num. cap. 1. n. 49. & 51.
2. Paralip. cap. 31. n. 3. & 4.

tabernam, siue officinam, atque ibi sedendo, perinde manet, ac si proxenetam, siue iudicem agere vellet mercimonij, quod ibi distrahitur, vel tanquam testis ipse adhiberetur ad notandos eos, qui per viam eunt. Interea, in taberna illa pleraque memorantur, ipseque suas vicissim narrationes ad manum habet ludicras, atque iucundas, quæ nimium auidè, et attentè audiuntur cum laudibus insuper, quibus gestit ille magni concionatoris instar, et datos plausus promptè accipit. Atque exultans quoque magis narrationum suarum gloria, ingreditur etiam memorare quæ cum gregalibus aliquando suis strenuè gesserit: iuisse nonnunquam vnà: ibi quæ facta, quæve dicta fuerint; propè adhuc meminisse ipsos, ac testes vniuscuiusque rei eosdem profert. Discedit deinde narrator, et facto ineptiarum fine, cogitate nunc vos, qui ioci, quive risus excitentur inter eos, qui antea plausere. Delirum senem, scurramque, et circulatorem renidentes inuicem vocant. Sustineat, atque moderetur vtinã ira sua portenta caleste Numen; quæ vobis ira imminet tunc, cùm nulla cogente necessitate, in nullum alium vsum, quàm dehonestandi ordinis vestri per fora, perque tabernas vagi statis, aut sedetis. Non vobis ibi serica aliqua vestis paratur, aut emitur, quæ ferme causa est ibi commorantibus, sed Dei, templorùmque honorem

ipsi

ipsi venundatis, emitisque vicissim dedecus et ignominiam, et ea demum merce onusti, conuertitis retro gradum ad tecta vestra. Credisne verè dici hæc, an dubitas adhuc, teque charum hominibus, et honoratum censes, interea dum inhonestè agendo, dedecus infamiamque mereris? Sciendum tibi est, poscere laicos ad vitia, moresque dissolutos plus licentiæ, quàm quantum vobis permissum esse debeat; cumque simulent vestram sibi placere vitã, eam tamen odere, vituperantque; nec tanta sunt in vos misericordia, vt turpitudinem aliquam vestram esse occultatam velint, sed proferunt statim turpissima quæque, ac monstrant intento digito, si quis ea forte non vidisset; insuperque rem augent sermonibus, et magna vociferatione extollunt. Holofernes Hebraici nominis acerrimus hostis, cùm ferre non posset ea, quæ ab Ammonitarum Duce Achiore proferebantur, dum hic miracula Dei extolleret in defendenda Hebræorũ gente diuersis ætatibus, prædicandaque insuperabili gentis eius vi aduersus hominum arma, tanto furore accensus esse dicitur, tamque indignè tulit, quòd diuinæ Maiestatis potentia minor ipse haberetur, vt minaretur talia prædicanti necem, et victa propediem Hebræorum gente, sternendum eum esse humi confixum militum suorum telis. Quæ cùm dixisset Tyrannus, ita adiecit. Si credis

hæc

hæc ita futura esse, ne occupet ora tua pallor, neve exterritus fueris; idque mihi argumento erit, te credidisse. Videtis amici, cuiusmodi pacta sint ista, et leges, quas laici à vobis exigunt? Videtis quomodo vobiscum agatur? Nolunt laici vos esse homines ex mortali aliqua concretione conflatos, corpusque et carnem habere humanam; sed æneos quosdam, lapideosque esse volunt, ac nisi tales reperti eritis, et falsam Dei legem, et falsos vos, fraudatoresque appellant. Atque ita affecti homines poterunt amare vos et uereri, et culpas in vobis excusare, atque eleuare eas, quas ne amicissimi quidem, et familiarissimi vestri ferre, et sustinere possint? Neque considerant isti in tanto hoc sacro cœtu, quem adesse præsentem video, quamplurimos esse, et magna laude dignos, et timentes Deum, excultosque disciplinis, partemque reliquã non ita grauiter esse reprehendendam, et eos, quos reprehensio hæc nostra propriè attingit, adeo paucos esse, vt etiam monstrari in tanta hac multitudine possint, tanquam ob labes suas noti pariter et inuisi. Sed feroces, et iniusti laici absque discrimine vllo promiscuè carpunt omnes hac ferè voce: dicunt presbyteri, et presbyteri faciunt. Sed hunc ego locum nimium fortasse copiosè tractasse uideri possum, cum res indecora sit, odiosaque, et vestris indigna moribus, minimèque conueniens.

Qua-

Quamobrem magis fortaße expediet in orationis nostræ fine locum tractare alium de proximorum vinculis, quibus attinentur, impediunturque sacerdotes magis fortasse, quàm alienorum negotijs, de quibus antea dicebam. Ita et menses, et anni absque fructu vllo transiguntur; neque in litterarum studijs, cæteraque exercitatione virtutum proficiunt quidquam. Non laquei, non catenæ, retiave vlla magis impediunt miseros sacerdotes. Seruite, seruite, inquam, et fratribus, et fratrum filijs; neque enim altaris iam, Numinisque altissimi ministros appellari vos oportet, sed mancipia vilißima consanguineorũ, qui fræna vobis, compedesque iniecere. Lot innoxijs fuit moribus, eaque innocentia mouit Numen, cui summopere charus erat, vt missis duobus Angelis iuberetur excedere ex vrbe, quæ paulò post conflagratura erat: isque diuina confestim mandata exequebatur, sed illico tanquam et diuini mandati, et promißionis suæ immemor, alienata quasi mente tempus extrahebat, volens vtique intra vrbem eam manere, cui cæleste incendium imminere paulò antea credidisset. Ita cælestes Nuncij, qui figura tecti humana ad eum venerant, coacti sunt inijcere cunctanti manum, et eum extra imminentis incendij flammas educere; nec ante destituerunt, quàm in tuto collocaßent. Quis tunc cæcum, elinguemque Lot Gen. cap. 19. u. 15. & seq.

Ddd fecit,

fecit, vt scilicet marmorea pene stupiditate immobilis maneret? Scitisne, an audire vultis? Proximi fecere mutum et elinguem, quibuscum statim ab Angelorum colloquio rem, quæ erat futura, communicauit. Probabile omnino est, totam eam insecutam noctem absumptam fuisse secretis cum tota cognatione sermonibus, ipsumque deinde Lot animum simul, sermonemque mutasse, ita vt

Ibid. u. 16. *Angeli* dissimulante illo, apprehenderint manum eius, *quemadmodum legitur. Neque verò credideris sacerdos quisquis consanguineorum tuorum amore immodico implicitus teneris, venturum esse Angelum vnum aliquem, qui te prehensa manu ad salutem ducat. Nam si mea hac voce non moueris, non video, quod præsentius, maiusque subsidium tibi expectandum sit. Amor, quem conciliant nobis vincula ista propinquitatū, infidus est, falsusque amor; cùmque talis sit, quomodo fit tandem, vt propinqui tam effusè à te amentur? Negare non potestis, quin hic sanguinis amor similis valde sit amori, quem cæci nati parentes prætulere, cùm verbo vno se se ex omni expediere molestia, quā ex propinquitate illa con-*

Ioan. cap. 9 u. 23. *traxisse poterant.* Ætatem habet, ipsum interrogate. *Cur in tali tempore nullam attulere ei opem? Cur nullam defensionem suscepere? Cur nihil fuit eis longius, quàm vt causam suam om-*

nem

nem ab illius causa segregarent? En Euangelicum dictum; Hęc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. *Atque assentior sanè vobis in eo, quod fortasse dicturi estis, nequaquam Hebraici generis vestros esse consanguineos, nullosque alios reperiri tam proteruos, atque ingratos, quàm fuere illi cæci nati, de quibus dictum est. De propinquis vtique alijs, quorum et famam, et nomen revereri oportet, ita in Euangelio est*; Neque enim fratres eius credebant in eum. *Quid sibi volunt verba ista, sacerdotes? Quinam fuere fratres isti, quinam homines, et quidnam erat illud, quod credere nolebant? De Filio Dei sermo hoc loco est, de proximis eius, de fide ea, quam ipse per vniversum Orbem prædicabat, de fide ea, quæ necessaria vniuscuiusque saluti erat: et tamen videtis quæ verba afferat Euangelica veritas ad rem, sicuti erat, verè demonstrandam. Ac voletis adhuc respicere benigna promissa, blanditiasque propinquorum? Si ita facitis, auditores, credere omnes poterunt, neque damna vestra, neque hanc sanguinis iniquitatem cernere vos, et contemnere ista, tanquam domestici fures timendi minimè essent,*

Ibid. v. 22. & 23.

Ibid. cap. 7. v. 5.

sent, sed timendi tantùm illi, qui re sublata, statim elabuntur. Credere poterunt, cupidissimos vos, tenacissimosque rei, constipare vndique diuitias ad hoc tantùm, vt fratres, et fratrum filij, vel viuentibus adhuc vobis, vel postquam è vita discesseritis, ditiorem agere prædam possint, qua deinde perfruentes, ingratissimo animo erga vos agant. Accidit ætate mea hoc, vt nequaquam obscuro, sed illustri loco natus aliquis, appropinquante suprema hora, testamentum faceret, ac leui de alterius vitæ rebus cura, adolescentulum vnum fratris sui filium ex asse heredem relinqueret. Ingrauescente dein morbo, cuius atrocitate vnà cum corpore animus etiam oneraretur, cursitabat per conclauia pueriliter adolescentulus heres, atque in transcursu prope lectulum fortè ibat. Quo conspecto, luctans cum morte patruus, accersit ad se eum, et nescio quid ægrotantium more petijt. Sed incuriosus, et ferox, simulque ingratus adolescens, dissimulata patrui voce, transijt quasi nihil audisset. Tunc æger, qui immoderatè humana tractarat, atque in extremæ etiam horæ discrimine, obsignandoque testamento salutem suã obliuioni tradiderat, amaritudine perfusus, ac veluti furore percitus, exclamauit tale quiddam. Væ mihi, cuius nunc charitate detrudor ad Inferos. Talia exclamauerat miser ille; neque tamen ideo testamentum mutauit,

tauit, neque malè parta restituit. Ita nunc ille momento hoc ipso torquetur apud Inferos pœnis, quæ nullum vnquam habituræ exitum sunt. Vtinam verò ingratus consanguineorum erga sacerdotes animus, insidaque beneuolentia non afferret has ad extremum execrationes, odiaque vltima, quibus tandem insidijs, et importunitate vos præcipites agunt in sempiternos ignes. Non potestis, auditores, expectare ab oratore vllo, vel certiora, vel vtiliora; nullusque etiam erit orator, qui apertiùs, clariusque ista dicat, quàm à me hodie dicta fuere.

TER-

TERTIA DIE
Synodus eiuſdem.

DE EXERCITATIONE in ſtudijs.

CONCIO XXXIX.

QVIS veſtrum, ſacerdotes, qui audiendi cauſa hic adeſtis, in matutina hodierna noſtra, externaque etiam concione, notaſſe potuit vlla veſtigia artificioſæ orationis? Quanam pars prætulit eloquentiæ formam, exquiſitæque artis, cuius laus, et fama tantopere extulit oratores antiquos? Vbi fallacia verborum, illecebræque et inſidioſus ornatus, quem meritò ſemper ſuſpectare auditores poſſunt? Non fortaſſe ego tam apertè, ſimpliciterque vobiſcum egi, vt affirmari poſſit, vos ipſos, non autem me eſſe locutum? Veſtra enim inſtituta, veſtrique mores narrati per nos, et expoſiti veſtris oculis, loquuntur adhuc, et perſuadent, atque conuincunt, non autē nuda verba debili, et emortuo prope ſono. Quàm peruerſa, et ſcelerata mens ea erit, cui non diſpliceat, ſi cuſtos animarum tanquam linguæ vociſque expers, nullum ſalutare

ver-

verbum emittat, pœnasque tantùm in subiectos promptas habeat, non autem benigna unquam monita; cui non displiceat item chori, altarisque ministros alienos esse ab omni doctrina, multisque proinde vitijs inquinatos atque coopertos. Neque pauci inter vos erunt, qui meminerint, quàm varijs modis nonnulli sacerdotes à se ipsis lædantur, neque errores interea suos norint. Non igitur hæc sola species, et repræsentata vobis imago vim habebit ad permouendos vestros animos, qui ipsi testes veritatis esse possunt, etiam si lingua silerent omnes, nullaque accusationum acerbitas adhiberetur? Et quoniam diuino nutu tantopere profectum est, vt hæc ipsa videatis, spes etiam apud me oritur, posse vos intuendo sacerdotum nonnullorum vitam, intelligere valde dubiam et ancipitem ipsorum esse salutem, nec iucundum lætumque finem esse habituros, nec fore beatos in conspectu Dei, qui si laici fuissent, non autem sacerdotes, nequaquã hodie pœnis demersi sempiternis iacerent. Durum hoc fortasse videtur, atque amarum? Neque durum, neque amarum videri debet, quod à me dicitur: sed quòd verè dicatur, id quidem amarum esse debet; iustasque in huius rei consideratione lacrymas effundetis. Neque dubito, quin vobis hoc probaturus sim; neque timeo, si quis dicat, statum sacerdotalem venera-

bilem

bilem hunc, atque sanctum, posse appellari segetem malorum omnium, campumque peccandi potius, quàm subsidium humanæ debilitatis; atque materiem inde offendendi Deum præberi. Facilè enim totum hoc diluetur. Sciunt exculti litteris homines, nihil ferme reperiri in hac vita tam integrum, atque sanctum, quod prauo vsu non peruertatur atque confundatur. Sacramentaque etiã ipsa, et sanctissima res, si profanè obita sint, non emendant malitiam hominum, sed nouis peccatis inquinantur qui contaminati iam accedunt, eamque sibi calamitatem ipsi homines asciscunt. Neque enim aut mala, aut bona vitæ huius, aut ea, quæ spiritum, mentemque, aut corpus attingunt, conflant nobis miserias, calamitatesque vllas: sed nos turbulenti semper, et inquieti mala nostra conflamus peruersè abutendo naturalibus pariter, cælestibusque beneficijs. Iniusta sanè, et absurda querela esset eorum, qui vastum ingredi æquor parantes, fragile in id, putridumque lignum eligerent, cui immodicè presso, et onerato gubernator insuper imperitus adijceretur, ac sæuientibus deinde ventis, et ingruente procella, dissiliente naui, dum fluctibus ipsi haurirentur, sæuitiam vndarum accusarent.

Atque hoc, quod nunc à me dicitur, valde congruit ad consimilem Sancti Chrysostomi locum, quo loco scriptor ille ita ait; Neque tamen ob id sacerdo-

Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

dotalem ipſam dignitatem malorum iſtorum auctorem fecerim: abſit enim tanta à me inſania: neque enim ferrum cedis, neque vinum ebrietatis, neque robur contumeliæ, neque fortitudinem inconſideratæ audaciæ, ſed eos potius, qui præterquam deceat, donis à Deo datis abutuntur. *Non præterea vos obliti vnquam eſſe debebitis memorabilium duarum narrationum, quas ego facere hodie non poſſum, quin repetam è ſacris Litteris, vobiſque proponam, vt veſtrum inde, alienumque periculum intelligentes, magnũ animis terrorem, ſolicitudinemque concipiatis. Nullus ferè tam rudis eſt ſacrarum Hiſtoriarum, qui neſciat imperatum fuiſſe Sauli, vt Dei hoſtes Amalechitas bello perſequeretur, neque vlli vel beſtiæ, vel homini parceret, ſed delerentur omnes ad internecionem. Notum item vnicuique veſtrum eſſe arbitror, quemadmodũ Dauid, et adulterijs, et ſæuitia in occidendo, diuinæ legis præcepta violaret. Atqui hic ipſe tamen atrocium ſcelerum veniam à Deo impetrauit: alter ille nullam impetrare potuit. Plectitur quidem diuino flagello alter, ſed poſtea pœnitentiæ vi, numero electorum aggregatur, vt apertis Cæli portis illuc intraret. Alter verò, quia ſcelus ipſe ſuum ſalutari dolore, et pœnitentia deteſtatus minimè fuerat, neque culpæ, neque pœnæ vinculis liberatur, contemptaque*

diuina obiurgatione, desperauit miser, demumque præcipitauit in sempiternos ignes. Quid nunc dicitis, auditores, de maximis duobus Regibus, quorum vterque diuino iussu tam diuersa, immo contraria sorte, et fine in Regale soliũ euectus fuerat? Nihil vtique cogitare magis simile vero possumus, quàm Dauidis quidem culpas eiusmodi fuisse, vt communia iuris humani præcepta violarent. Saulis verò culpam propriè, singulariterque violasse impositam sibi diuinam legem, munusque, et officiũ imperij, quod ille sustinebat. Hinc manifestè apparet, ea, quæ in suo munere quisque peccat, aut delinquit, et difficiliùs emendari, et inexorabiliùs condonari, quàm cæteros hominum errores. Neque credideritis, defuisse Sauli verba, quibus tum efficaciter, tum pauidè factum suum excusaret, vt mala, quæ imminebant capiti suo, depreearetur. Non obliuione, neque iniuria vsus in deprecando est, sed dixit reseruatum fuisse armentum religione quadam, et zelo, ne victimæ sacrificantibus deessent, et curæ sibi fuiße, non tam, vt mutas pecudes persequeretur, quàm vt stragem ederet Regis, Regiorumque aßeclarum, qui tunc sublati eßent. Hæc ille quidem excusabat, aiebatque satis aptè ad veniam impetrandam; neque tamen talia verba valuere, vt ne regnum, vitamque amitteret in pœnam violatæ diuinæ legis.

Et

Et pecudes vtique, brutaque animantia fuerunt illa, quæ absumpsisse ferro debuerat Saul: non spiritus aliqui immortales, non hominum aliqui, non Christiani, non denique vestra ipsorum proles, quam alendam, tuendamquè suscepistis. Atqui peribunt in manibus vestris, peribuntque morte illa, qua omni alia morte miserior est, et peribunt negligentia, vecordiaque vestra; nec interea tamen de salute vestra soliciti, sempiternos ignes, suppliciumque extremum timebitis? Sed maiorem adhuc in animis vestris excitari diuinæ iustitiæ metum oportet. Heu quàm pauci sunt in frequentissimo hoc cœtu, quos ad sacerdotia aliqua, et præfecturas violentia vlla extulerit, quique cùm extollerentur, crediderint se esse tali munere indignos, ac fuerint ipsi sibi viles, sicuti Saul ipse sibi fuit tunc, cùm populi Princeps, sicut diuinæ Litteræ tradunt, crearetur. Quòd si vultis orationem hanc nostram propiùs accedere ad vestri status leges, atque conditionem, liberè dicam, nequaquam esse me de salute vestra securum, siue curatores animarum sitis, siue ad diuina tantùm officia celebranda destinati. Nam et res illa diuina quotidie sine apparatu vllo, properè, celeriterque facta, et psalmi, diuinæque laudes incuriosè, et intercisè, raptimque recitata, mentem meam multa solicitudine, timoribusque magnis complent.

1. Regum cap. 9. u. 21.

Valdè timeo, ne in huiuſcemodi erroribus, abſque vllo conſcientiæ morſu perſeueretis: idque ſi ita eſt, quomodo tandem abſolui voletis, ſi culpa ſemper eadem abſque vlla ſalutari deteſtatione habet animum veſtrum? Augetur præterea timor meus, quia ne perterritos quidem vos video, ſed læti, ac ſecuri alterius vitæ bona expectatis. Et timor hic meus valde ſalutaris vobis eſt, valdeque eò pertinet, ne illud accidat vnicuique veſtrum, quod

Iudic. cap.7.n.3. *in Gedeonis exercitu inclyto factum fuit. Eſtne quiſquam in veſtro numero, qui neſciat timidos ex eo exercitu omnes fuiſſe reiectos, ita vt fortes tantummodo ad nouæ terræ conquiſitionem retinerentur? An id fortaſſe ignoratis? An neſcitis, timorem tunc diſplicuiſſe diuinæ Maieſtati, inuiſumque fuiſſe? Non ita, non ita res ſe habet in diuerſa hac re militari, bellicoque negotio; in quo quiſquis timore liber eſt, indignus etiam erit, qui in hoc ſacroſancto exercitu retineatur. Nunc dicite mihi, quàm multi in hoc exercitu ſancto ſint hoc timore trepidi ac pauentes. Hic vtique meus timor eſt, ne pauci ſint inter vos, qui timeant; ac ſicut in Gedeonis exercitu pauci fortes præ multitudine timentium fuere: ita nunc vereor ego, ne pauciſſimi ſint, quos timor, et conſternatio aliqua ſolicitet. Heu ſacerdotum meorum conſtantiam, atque fortitudinem! Non timent, aut ſempiterna*

vin-

vincula Inferorum, aut contubernium, societatemque Dæmonum, aut sempiternam cum Numine ipso hostilitatem. At ex altera parte, si quis ita vaticinaretur, naturali compertum esse ratione, quòd hæc ipsa augustissima templi moles ingenti aliquo terræmotu concutienda esset, ita vt plerique nostrûm subito hiatu hauriendi essemus, quis talia audiendo, non præferret illico mortuorum pallorem? Terræmotus autem iste, subitæque mortes, et fœda spectacula nihil aliud, quàm pœnas; necemque corporum afferrent, essentque ex eo malorum numero, de quibus excelso spiritu Iob ita loquitur; Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu videbis? *Quasi dicat: si oculi Maiestati vestræ essent, quales hominibus sunt, talibusque oculis inquireres in facta, vitamque meam, optimo essem animo, iudicijque vestri sententiam non ego magnopere pertimescerem. Sed quia non sunt Maiestati vestræ oculi tales, nulla mihi ferè spes æternæ salutis ostenditur. Non video, sacerdotes, quis vestrum vel leue Dei iudicium subire cupierit, etiamsi mortalibus ille oculis iudicaret; nec video quis in hoc cœtu sit, qui Iobo comparari se posse putet. Simul enim putaret ad diuinarum omnium, humanarumque legũ præscriptum perfecta sibi, et pura, et emendata esse cuncta. Quis vestrum ita de se profitetur: diuina*

Iob cap. 1. u. 21.

Iob cap. 10. u. 4.

uinæ mihi, et humanæ cunctæ leges religiosissimè custodiuntur, viuoque ad præscriptum earum. *Hoc ita profiteri possunt sacerdotes, qui rem diuinam faciunt, psalluntque in choro, et salutem animarum tuendam suscepere? Vos inquam, qui cœtibus immisti laicorum, nullum vnquam librum adspicitis, nulla salutaria monita populo datis, ita profiteri voletis in eius conspectu, qui videt etiam ea, quæ Sol non videt, intimosque terræ recessus maiestate sua collustrat, cuius oculus adspicit simul, et loquitur, et accusat, et abdita videt, et impenetrabilia penetrat, et inaudita audit, suaque tali notitia seuerissimè iudicat filios hominum. O palpebras diuinas, quæ clauduntur nunquam absque voce!* Psal. 10. u. 5. Oculi eius in pauperē respiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum. *Ita sensus est. Iudicant illæ tam impios, quàm perfectos, seuerèque intima nostri pectoris perscrutantur, rationemque exigunt, et verba pronuntiata submisso sono, resque in occulto patratas nullo alio conscio vident ipsæ, planèque nouerunt, neque ars vlla aduersùs vim potentiamque earum, remedio esse potest.* Isaiæ cap. 26. u. 20. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad monumentum, donec pertranseat indignatio. *Clausæ sint fenestræ, tenebræque, et obscura loca vobis auxilientur: vana erunt silentij, tenebra-*

brarumque arma contra vim, iramque diuinam. Quas tu conquirere latebras poteris vnquam ad scelera patranda? Obductum caligine Cælum, et fuscam Lunæ lucem, et profunda noctis, silentiumque, et solitudinem, et cauernas, et mutas pecudes. Quid si muta ista non erunt, pecudesque, et lapides ipsi loquantur? Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccauit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit. *Parietes tui exclamant, tectaque, et lapides ipsi, et cauernæ, vallesque, et montes, et animalia vociferantur, non Iudex, non Pastor tantummodo vester, qui vos omnes regit. An verò loquaces pecudes etiam iste Prophetæ locus facit? Facit sanè, si Septuaginta Interpretum, ipsiusque Hebraicæ linguæ sonum audiamus;* Scarabeus de ligno loquetur ea. *Hebraicèque legitur;* Lignum è ligno respondebit ei. *Loquuntur hoc loco animalia, lapidesque, et vocalem eorum sonum diuina Litteræ repræsentant. O diuinæ iustitiæ miracula, vimque infinitam! Volet sacerdos falsò excusare res suas, et parietum suorum testimonio coarguetur. Ac si contumax, et obstinatus in falsa defensione perstabit, tunc rodens ligna vermiculus, qui antea latitarat, prodibit, et contra vos loquetur. Flamma æterna, Spiritusque diuine,*

Habacuc cap. 2. u. 10. & 11.

ex quo voces illæ Propheticæ manauerunt, osten-de, precor, huic sacro consceßui, synodoque quàm sint vera, quæ dixi, ita vt monita hæc mea altè infixa mentibus, animisque sacer-dotum, dent aßiduè multam et copiosam bonorum operum frugem.

PRI-

PRIMA DIE
Synodus

ANNI M.DC.XXVII.

CONTINET EXPOSTVLATIONEM ob irritas conciones.

CONCIO XL.

QVIS intuens armatam, et instructam egregiè nauim, propitiosque ventorum afflatus, non crederet relicto littore ac portu, statim eam, datis in altum velis, ad ingentia lucra, vel decora esse properaturam? Quis armatas item, et stantes in conspectu contrarias acies, et auidum pugnæ militem intuens, non diceret horribile adesse certamen? Video nunc ego sacerdotalem hunc consessum, ceu tranquilli maris vndas, et veluti paratas ad debellanda vitia acies; crederetque meritò fortasse aliquis, orationem ad huiusmodi auditores hodie mihi esse paratam eo artificio; et facultate, quantamcunque nobis diuino munere concessam,

aliàs fortaſse ſenſiſtis. Attamen non multa vobiſcum hodie verba facturus ſum, venerandi ſacerdotes: non vela daturus in longum iter: non cruentum certamen initurus aduersus ea vitia ſacerdotum, peſſimoſque mores, in quos temporibus alijs intenta orationis noſtræ tela vidiſtis. Eſt dicentium fames apud attentam concionem acutiſſimis inſtructa dentibus, longèque auidior, quàm altera illa, quæ cibi deſiderio, naturalique appetitu, hominum viſcera lacerat, atque vrit, veluti carnifex humano corpori data. Nam agreſtis feræ inſtar, iſta deliteſcit intra viſcera, neque ſæuire in præcordia et animum poteſt, cùm altera illa, quam cordis appellare famem poſſumus, intimas mentis animique partes attingat. Cibi appetitus, aut ſomno ſedatur, et quiete, aut modico pabulo, vilique ære ſatiatur: ſed noſtra hæc cor, animumque vrens, nec breui ſpatio mitigatur, et Regum quoque cœnas contemnit, faſtumque ſimul omnem eorum, et ſæua Tyrannorum iuſſa adſpernatur. Vos nunc videte, ſacerdotes, quàm difficile ſit ſilentium imponere ſuæ ipſius linguæ, frænareque eam, et inhibere, ne munere defungatur, quo nos præſertim mutas brutaſque pecudes antecellimus. Frænare tamen hanc hodie linguam volo, cùm tam multarum ex hoc loco concionum veſtra cauſa habitarum fructum pene nullum cernam. Non inquam,

quam; lubet inanem sumere operam, reliquiasque virium frustra effundere eas, quæ mihi supersunt ex assidua perfunctione laborum, quos salutis vestræ causa diuino adhuc auxilio strenuè sustinui. Ubi mearum concionum fructus, emolumentumque est, sacerdotes? Quem ego fructum diu expectatum, et quasi debitam mihi messem ex amplissimo hoc agro requiro, dum præsentes adestis. Quadragesima hæc nostra concio habetur ad Clerum Mediolanensem synodi causa congregatum; hodieque numerus iste concionum absoluitur, quarum fortasse longitudinem incusare aliquis posset: Multa vobiscum egi, variosque locos interpretando diuinarum Litterarum, nunc interrogando, nunc respondendo, nunc responsa vestra confutando, disputandoque, et pugnando, conatus sum expugnare si quid praui moris maneret. Atque propter summum meum vestræ salutis studium, obiurgationibus addidi preces ex intimo animi sensu depromptas, quæ mei erga vos amoris fidem facerent socio lacrymarum fonte, quas vos quidē ab hisce oculis prosilientes, si minus vidistis, animus certè, et melior illa pars nostri vbertim effudit. Quadragesima vtique, sicuti dicebam, hæc nostra concio synodalis est, auditores. Ecclesiastica verò disciplinæ incrementa, morumque emendatio, et plena charitatis exempla, et reliqua pastoralis

officij opera vbinam apparent inter vos atque elucent? Fabulosa inanium Deorum adoratrix antiquitas, inter pleraque seria, quæ fabulis suis admiscuit, finxerat ex Herculis ore prodeuntes catenulas, quibus ille deuinciret auditores suos ac ligaret. Huic inani commento serium illud inest, quòd oratorum verbis deuinciuntur, captiuique quodammodo aguntur eorum animi, qui ad audiendum venere. Quis vestrum est adhuc, qui se meis verbis ligatum esse fateatur? Quis cessit meorum dictorum violentiæ, et auctoritati? Quis vestrum nunc exurgit, aitque et profitetur, se esse victum, atque oneratum catenarum nostrarum pondere? Euangelista Ioannes inter alia, quæ diuinitus vidit, refert oblatum sibi fuisse librum, simulque Beatorũ Spirituum voces audiuisse, quæ dicerent. O Ioannes, hic tibi vorandus liber: non pauca voluptate palatum, faucesque perfundet: dein vbi aluo acceptus erit, acerrimo doloris morsu tibi perstringet intestina, lacrymæque ab oculis cadent. Non ego nunc ineptè aggredior conciones extollere nostras, tanquam nectaris suauitate palatum permulcere vestrum potuerint: tantùm dico, visos esse mihi vos sic accepisse eas, veluti rem neque ingratam, neque absurdam, idque manifestè significastis. Sed ex altera parte neminem video testificantem aliquos inde fructus vtilitatũ, mor-

Apoc.cap.10.v.9.

morsusque doloris vrente intus volumine concionum nostrarum ob præterita vitæ culpas, conditionemque præsentem vestram. Pulchrum est, sacerdotes emendari hortationibus alienis, moresque assumere honestos castigatione verborum, non expectato diuinæ Iustitiæ telo, pœnisque paratis in sacerdotes eos, qui non emendantur. Emendationem autem istam recipere abnuentes ita Clemens Alexandrinus obiurgat, vt similes esse dicat hominibus, qui in vrbe aliqua hospites, et peregrini suspiciunt cum voluptate turres, et arcus, et columnas, et viarum ordinem, ædesque magnificas, ac sine fine laudant eius opes, qui tam præclara possideat: cæterùm nihil vltra cogitant, nihil apud animum suum statuunt. Non iam ego postulo à vobis, vt concionum mearum fructum, vtilitatemque verbis extollere velitis; id namque et vobis, et mihi indecorum, inhonestumque esset. Audite, sacerdotes, audite id, quod dicturus sum. Sceleratissimum omnium mortalium Iudam Origenes ait, in prodendo Saluatore signum osculi cum Hebræis statuisse, quod obseruarent; Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. *Nimirum ita egit, sicuti magnus iste Doctor obseruat, vt aliquam erga Magistrum suum reuerentiam exhiberet, et ne tanti sceleris publicè argueretur. Triginta quoque denarios eundè restituisse*

Clem. Alexandr. lib. 1. Strom.

Origenes lib. 2. contra Celsum.

Iu-

Iudam pergit dicere Origenes, quia commoto ob Saluatoris conciones animo, flagitium suum aliqua ex parte agnoscebat. Tigre, et angue quolibet tetrior fuit Iudas: et mentem tamen eius audita verba Saluatoris commouere potuerunt. Videte nunc quid ego dicere possim aduersus eos, qui concionibus nostris nonnihil esse effectum affirmare audent, dum se, aliosque defendunt. Dicamne laudandos esse homines, qui tantundem vtilitatis ex concionibus meis perceperint, quantum apud Iudam etiam Magistri verba peperere? Vultis hoc à me dici? Nunquam assentiar, vt dicam, neque dicturus sum. Cypriani Martyris ætate, Christiani omnes miserrimè afflictabantur Cæsarum sæuitia, qui carceres, et metalla, pœnasque alias innoxio populo assiduè intentabant. Inter eas miserias Martyr inclytus assiduè solabatur damnatos epistolis, quæ grauissimè scripta adhuc extant. Inclusa litteris eis leguntur verba, quæ Patri, Pastorique suo damnati et addicti pœnis homines respondebant, specimenque verborum huiusmodi est. Pastor charissime Cypriane, multas tibi gratias agunt qui nobiscum damnati attinentur. Recreasti enim tuis litteris afflictas mentes, atque lacerata verberibus membra cōfirmasti verborum tuorum medicamine: exoluisti compedibus vinctos, pristinamque speciem, et dignitatem oris

S. Cyprianus Epist. 78.

resti-

restituisti eis, qui in ludibrium semitonsi erant: illuminasti tenebras carcerum, et metallorum rupes complanasti, nosque in antris Paradisi lucem intuemur. Hic inclusi vapore et fumo camini ardentis antea opprimebamur: nunc tuæ litteræ exanimes nos tanquam admotis odoramentis recreauere. Quis vestrum nunc non sacrosanctas illas turbas mente et cogitatione adspicit? Quis pallidos vultus, et squalentia membra non intuetur? Cuius non capit animum misericordia pereuntium indignè tot piorum? Quis vestrum simul non admiratur tantam vim esse orationis apud animum humanum? Et nostra tamen hæc oratio vana apud vos erit? Dicet fortasse aliquis, non me esse Cyprianum, non pari nomine, ac fama scriptorem, siue oratorem. Non decet talia dici, auditores, non decet. Nam si dicta erunt, respondebo ego, ne vos quidem intra carceres, et antra contineri caligine, pessimoque odore pene suffocatos. Vnusquisque vestrum intra suos parietes fruitur commodis, et amœnitate vitæ, quam nostra hæc patria, et hoc mite Cælum fert, atque alit. Illud quidem vnum, nec sine graui querimonia dicere possumus, vos nimirum adeo vecordes esse, vt Pastoris vestri verba contemnatis, et res toties repetitas vestræ salutis causa obliuioni tradatis. Statui, omissa concionum longitudine, cogere in an-

angustum, oculisque vestris exhibere summam omnem, quam tamen ne vestris viribus onerosam grauemque parari credideritis, neve trepidet vobis animus expectatione nouarum legum, atque decretorum. Erratis vehementer, si tale quidquã timetis. Nihil enim aliud allaturus sum, quàm monita quadam vsu diuturno comprobata; quæ ipsa quàm facilia sint, argumento erit, quòd in consuetudinem inducta hæc manent, atque custodiuntur. Atque quò certius id habeatis, proxima nostra concione pluribus rem demonstrabo; poteritque fortasse euenire, vt quod vocis meæ sono frustra adhuc tentatum est, id litteræ, et scripta, quorum sermo efficacißimus est, asequantur ad vtilitatem vestram, et ad Dei gloriam, qui mentium humanarum illuminator est.

SECVNDA DIE
Synodus eiusdem.

CONTINET DECRETORVM summam.

CONCIO XLI.

NON magna res est, sacerdotes, si humana lingua altè, artificiosèque loquatur, nisi eadem etiam persuadeat auditoribus, auditoresque ipsi persuasi ab ea, et edocti miseræ huic linguæ obediant, dictaque exequantur. Ita nihil magni fecerimus nos, si ex hoc loco de rebus altis, et fortasse pari stylo locuti sumus, nisi etiam infelici huic linguæ laudabilia vestra facta obsecundarint. Minima pars humani corporis lingua, mirifica et magna in eo est, quòd cæteras omnes nostri partes aptè gubernat, et regit, et cum nostra etiam voluptate moderatur. Hæc minima pars, si per se tantùm ipsa consideretur, velut homo alter est in humano corpore loquens, de qua parte meritò dubitari posset, an differat etiam ipsa, intelligatque, et virtute plusquam humana prædita sit. Verùm, miserrima hæc eadem est, quotiescunque proiecit verba inutiliter,

et veluti proteruis auferenda ventis dedit. Non sanè ego nunc nimiùm seuerè repudiauerim, si quid in me laudis ob habitas ex hoc loco conciones collocatum fuerit, fateorque vltro, et dixisse multa me, et fortaße non ineptè ad persuadendum; plausumque etiam aliquem vidi, et sensi. Sentio tamen et video, languidè nimiùm, ac frigidè auditores meos eße commotos, atque persuasos. Ita dicta vestra secum pugnant, neque cũ dictis facta consentiunt, facilèque fuerit vos arguere mendacij, dum orationem quidem nostram laudatis, ea verò quæ dicimus, minimè facitis. In auditorum

Demosthenes. *eße manu vetus scriptor dixit quantus quisque habeatur orator, idemque affirmabat, vim eße eloquentiæ tantam, quanta ei ab auditoribus tribueretur. Parùm fuerat, auditores, me dicendo vicisse, si ex altera parte vitia moresque deprauati de vobis triumpharent; qui praui mores, et vitia non verbis, sed re ipsa vincuntur. Ac reperiuntur vtique nonnulli, qui audiunt libenter ea, quæ dicuntur, sed non alio sensu, motuque animi, quàm veluti faciem alicuius in pariete depictam, cernerent, ipsorumve facies coloribus exprimerentur, nihil vltra cogitantibus ipsis, quàm solertiam, artemque pictoris. Rem igitur ita concludere potero, si vobis placet, vt dicam, nulla vestri Pastoris eloquentiæ gloria res vestras fieri meliores,*

sed

sed vt id contingat, opus esse moribus correptis, et emendatione vitæ. Ita non intellexisse tantum diuino munere alienos sermones, iucundèque audiuisse, sed prudenter etiam et audiuisse, et intellexisse apparebit, si ea, quæ sunt à nobis dicta, præstiteritis; non autem si verbis ea laudantes, re ipsa segnes otiosique fueritis. In ijs tamen incommodis, miseraque conditione rerum illud video esse boni, quòd tempus adhuc, facultasque rectè agendi manet, ac nunc demum ea, quæ dicam, facienda vobis erunt. Aduertite animum, monitaque, et præcepta accipite, quæ recensebo, quæve propediem in vnũ collata volumen, et publicè edita extabunt; recensendique ista initium fiet ab hoc ipso munere, quo nunc vtilitatis vestræ causa defungimur. Vt populorum saluti consulatur, scitis hoc esse institutum, vt concionatores alienigenæ etiam, Ordinumque diuersorum in partem vnamquamque dimittantur. His honestè pro officij magnitudine, ac sanctitate accipiendis præscripta forma est, quomodo tractari eos oporteat. Sed quantò meliùs fuerat, vos ipsos defungi concionatorum munere, vestraque ipsorum lingua populum erudiri magistri fortasse alterius minimè indigentem? Quantò sapientiùs, laudabiliùsque ageret ille, vel ignobili pagi, vel frequentis municipij parochus, si ad populum suum ipse concionaretur iam assuetum lin-

guæ pastoris sui, quæ faciliùs persuadet, quàm peregrinæ voces, et aliena lingua? Neque ob id credere debetis, opus esse vobis exquisitißimarum sententiarum copia, rerumque nouarum delectu. Satis erit loqui de pœnis Inferorum, vel de alterius vitæ gloria, de pulchritudine virtutis, ac deformitate vitiorum, ostendendo quænam promptißima sit via, tùm adipiscendæ illius, tum hinc fugiendi atque declinandi. Item inter decreta ea, quæ vobis præscripta exhibebuntur, caput huiusmodi est; super doctrinæ christianæ scholas optimum fore ad populi disciplinam, si grandiusculi adolescentes festis diebus separatim singulari, et propria cura erudiantur. Quoniam verò vestra omnium interest, et rem diuinam facere, et canonicas horas recitare, sanximus, decreuimusque nonnulla ad munus vtrumque aptißima, eademque consentanea Pontificum decretis, et disciplinæ, quam huic Ecclesiæ Diuinus Pastor Carolus propriam singularéque dedit. Potuistis vsu cognoscere quàm vtiliter institutũ fuerit, vt nouellis parochis grandiores natu sacerdotes darentur vita moribusque laudati, quos Decanos appellari placitum est. Horum Decanorum leuiorem apud nonnullos iuuenum esse auctoritatem intelligere videor, nec tantì eos fieri, quantì oportebat. Videte iuuenes, ne huiusmodi in posterũ querelæ pulsent aures nostras,

tras,

tras, ne scilicet flagello alio, quàm quo nunc vtimur, admonendi sitis. Honorem habete Decanis, caniciemque reueremini eorum, sicuti decet. Quod enixè vos à nobis petere debebatis, id concessimus vltro, vt populus vnusquisque nonnullis extra ordinem confessarijs vti possit, eoque remedio inueterata pleraque mala gregum vestrorum tollantur. Id quoque obseruari admodum salutare erit. In omnibus verò nostris hisce legibus, ac decretis mementote, sacerdotes, Moysem gentis Hebraicæ legislatorem, cùm Tabernaculum ædificaret, fatigatum multitudine donorum, quæ certatim in eam fabricam conferebantur, necesse habuisse inhibere tantam liberalitatem. Heu sacerdotes! Non hic mortalis materia fabricæ, sed salus animarum agitur, propter quam Dei Filius è Cælo descendit. Poterone vnquam ego dicere, quòd clerus hic meus non solum concepta spei, desiderioque satisfaciat, sed spem etiam, desideriumque omne meum superet? Quando erit vnquam, vt verba illa, plus offert populus quàm necessarium est, *enunciare possim?* Exodi cap. 36. n. 5. *Quænam verò subijciuntur?* Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere Sanctuarij. *Id mihi præmium ingens præsentium meorum, præteritorumque laborum esset, vosque magnam inde cum vtilitate laudem reportaretis.*

TERTIA DIE
Synodus eiusdem.

REQVIRIT IN SACERDOTVM animis ardorem in munere exequendo.

CONCIO XLII.

NON *igitur, sacerdotes, magna laus est, sicuti superiore concione demonstraui, aut oratoris, aut eorum, qui audiunt; vel dicere egregiè, vel attentè audire, sed illud quidem præclarum ac laudabile est, si ea, quæ dicta sunt, rebus deinde ipsis,* Demosthenes. *et obsequio facili comprobentur. Magnus dicendi magister, summusque orator ciuibus suis aliquando ita dixit. Oratores optimi vos estis, Athenienses, sed facta discrepant. Sic ego, plerosque vestrum optimos esse auditores dicere possum, attentosque, et modestos, sed obsequij, alacritatisque ad exequendum, laudem tribuere vobis vllam nequeo. Qui mercimonia tractant terra, vel mari, domi, siue foris, nunquã finem faciunt inquirendi quanti res vnaquæque sit, multùmque et anxiè disputant de valore operum, et elegantia, et artifices ipsos*

effuse

effusè commendant. Verùm, isti postquam ad contrahendum venere, callidè sumunt tempus spatiumque deliberandi, tamdiuque cunctantur pleraque causando, vt expediant se, venditoremque demittant. Ita plurimi extollunt concionatorum eloquentiam, artemque, et singula eorum dicta perpendunt, eorum quoque mores, et plenum dignitatis adspectum laudant. Cæterùm, vbi ea, quæ concionatores monuere, facienda sunt, difficultates et impedimenta vndique oriuntur, rectèque agendi nec tempus, nec locus, nec opportunitas vlla satis placet. Intelligere vos arbitror, quantum rationis munere bestijs homines antecellunt, tantum hominibus cæteris antecellere ac præstare sacerdotale nomen. Vbi pastoralis illa solicitudo est, sacerdotes, zelusque ille, quo vnumquemque vestrum abundare oporteret, ferreque hinc ad gregẽ suum, cùm ab hoc synodali conuentu discedetis? Caminum atque fornacem esse Templum hoc augustissimum vellem, ex quo purissima cælesti flamma adeo accensi discederetis, vt ex templo, vel ara præsertim leoninos sumpsisse spiritus videremini ad debellanda vitia, Dæmonumque turbas, sicuti magnus olim Chrysostomus aiebat. Veterem synodaliũ actionum renouari morem cuperem in vobis, sacerdotes, tunc scilicet, cùm Patres nostri diuinarum rerum amore flagrantes, latissimè congregabantur,

plau-

plausuque et acclamatione deinde frequenti pectorũ suorum flammas ostendebant. Resonabant cuncta latis vocibus erga synodalia decreta, resque constitutas. Fiat, fiat. Placent omnia. Vt de præsenti fiat, postulamus. Ista teneantur, ista obseruentur. *Non ego dicerem, dici ve ab alijs æquo animo paterer, plenos vos esse languoris, et erga munus vestrum tadij damnosissimi, falsòque hæc vobis nota tribueretur. Ceterum tamen abest vobis calor ille, qui veterum Patrum fuit, spiritusque tales in vobis desidero, ac requiro. In celeberrimo monte Sina aliquandiu moratus Moyses, cùm ex monte descendisset, sensit populum suum breui illo spatio, interea dum ipse salutis eorum causa cum diuina Maiestate colloqueretur, Idola*

Exodi cap. 32. u. 19. *cœpisse venerari, doloreque commotus, fregit tabulas, in quibus descripta erat lex, sicuti meminisse vos arbitror. Non ego à vobis peto, vt tabulas legum nostrarum frangatis, sed peto, vt in-*

Exodi cap. 34. u. 1. *tegras eas hinc auferatis domum diuini Moysis exemplo, qui retulit deinde suas illas, atque per tot sacula Hebræorum genti sacrosancta manserũt. Volo, parochos vos, pastoresque animarum hinc abire cum legum libro, quem vobis traditurus sum, vultumque vestrum, hoc est animum, cupio splendore compleri, qualis antiquo Legislatori fuit. Volo hinc abeatis omnes, et facto ad vestros lares re-*

reditu, annuncietis quamprimùm populo, tabulas vos ex hoc monte tulisse, in quo nunc omnes sedemus, atque ad eũ verba hæc faciatis. Tradidit hæc nobis monita Pastor, Archiepiscopusque noster: hæc ille imperat: hæc vobis impero nomine illius: ibi in monte tot splendores, atque tot diuina lumina conspexi, vt in Beatorum cœtu me esse existimarem. Ex eo monte digressus, enitar totis viribus, et ope diuina, vt puri omnes, sanctique sitis. En quomodo imitatores vos esse Moysis oporteat: en amplißimum hoc Templum veluti simulachrum Sina montis: en gloriæ æternæ imaginem: en mistos nubibus splendores, qui occultant simul, et patefaciunt habitantem in hac sede diuinitatem, faciemque Paradisi. Vos sacerdotes vestras abite domos; et visa hæc, et audita populo vestro patefacite.

IMPRIMATVR.

Inquisitor Mediolani.

Anton. Rusca Can. Ord. Theol. pro Reuerendiss. Capitulo Sede vacante.

Comes Maioragius pro Excellentiss. Senatu.

Errata sic corrigito.

In Med. Litt. pag. 5. lin. 13.	quædam	quasdam
Ibid. lin. 14.	quæ	quas
In Tit. num. 87.	immunditiam	munditiam
pag. 9.	1. filios	filius
44.	2. ipse	ipsa
80.	21. meo	meæ
84.	1. tota	toto
89.	27. totæ	toti
100.	24. alio	alij
117.	8. espectatis	expectatis
125.	26. ille	illa
157.	7. Metropolitanæ adde	&
175.	11. eclesiarum	ecclesiarum
290.	16. ipsi	ipsos
326.	21. hortator	orator
334.	13. rrepitandum	trepidandum
343.	19. censerat	senserat
347.	21 plenè	planè
369.	15. dicite	dicetis
387.	24. nullam	vllam
391.	23. ipse adde	Nabuchodonosor
401.	3. cedis	cædis
408.	2. consceffui	confessui
409.	10. consceffum	confessum
419.	25. ignobili	ignobilis
420.	14. vestra	vestrum

Cætera prudens Lector dijudicabit,

i 20.